

N. M. II, dog.

L. 22, 24.

Π R
4383

IO. FRID. KAYSERI

I. V. D. ET IN ILLVSTRI LVDOVICIANA
P. P. EXTR.

FVNDAMENTA
DOCTRINAE
DE
DIVORTIIS

OPPOSITA
DISSERTATIONI WITTENBERGENSI

SVB TITVLO

SANA

DE

IVRE PRINCIPIS EVANGELICI

CIRCA

DIVORTIA DOCTRINA

SVPERIORE ANNO VVLGATAE.

EDITIO TERTIA.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Sumtibus IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI, Academ. & Senat. Typogr.

CIO 1000 XXXVII.

(6)







FVNDAMENTA
DOCTRINAE
DE
DIVORTIIS.

§. I.



Irca difficilem de diuortiorum licentia quaestionem, omnes fere nostrates, Theologi pariter & Icti, hodie in eo conueniunt, praeter causas adulterii & malitiosae desertionis, in S. literis, vt putatur, expressas, illas quoque esse admittendas, quae ad alterutram harum commodè referri possunt. Non enim absolute & rigorose solis illis duabus causis, ex intentione diuina & salua humanitate, inhaereri posse, vel parum oculatis quoque perspicuum esse potest. Ita sane pertinax debiti coniugalis denegatio, quod ad malitiosam desertionem referri possit, pro legitima quoque diuortii causa a Doctoribus habetur, v. STRYK. *dissert. de desert. coniug. malit. & dissert. de dissens. sponsalit. sect. 6. §. 20.* BRVKNER *decis. iur. matrim. P. 1. c. 18. n. 18.* BARDIL. *Ex. 52. concl. 20. cum allegatis.*

§. II. Hanc ipsam tamen doctrinam, vtut communi calculo approbatam, non leuibus dubiis obuolutam esse, oppido

iam obseruarunt aii. Ita enim vi oppositorum, quæcunq; causa ad adulterium vel malitiosam defertionem referri nequit, etiam grauissima & fini matrimonii eiusdemque essentiae contraria, sufficiens ad diuortium haud erit habenda. Pone, maritum esse impium, apostatam, hereticum, atheum, cum intolerabili morum peruersitate, si modo non est adulter, nec maliciosus defertor, bona vxor inuita, & cum perpetua animi renitentia eius seruitio est mancipanda. Et tamen impietas aduersus DEum ab ipso NICOL. HEMMINGIO, Theologo orthodoxo, inter legitimas diuortii causas relata est apud BEDECKENN. *tom. III. consil. p. 462. seq.* Pone, vxorem propter varias imposturas, & non vnum crimen stellionatus esse captam & in ergastulum publicum detrusam. Bonus maritus, tamen in dignatione honestioris famae positus, vitæ etiam vxoris ante actæ, omnino nescius, tamen secundum regulam nunquam poterit ab ea separari & ad secunda vota transgredi. Nam adulterii rea vxor non est, ceterum nec sua voluntate a marito exulat, quem suppliciter ex ergastulo rogat, velit pro capta vxore intercedere apud magistratum, quo citius liberetur, facti poenitentiam præfert, & seriam pollicetur mutationem vitæ. Rem vero egregiam agis, bone marite, si cum tua impostrice iterum in archissimam vitæ consuetudinem coalescas, & cum perpetuo animi horrore ex pessima Calpurnia sobolem tibi quaeras. Pone vltierus, maritum ob factum infamans, v. gr. homicidium dolosum, relegatum, aut fugitiuum factum, eundemque si reuertatur, capere plectendum esse, aut perpetuo relegandum. Hoc non obstant, bona vxor, cui fama in pretio est, secundum regulam diuertere nequit, quin maritum sequi tenebitur. Non enim potest probari marito adulterium, nec, quicquid etiam obtendant alii, hæc causa ad malitiosam defertionem reduci potest: nam maritus exul vxorem suam repetit, eamque, vt ipsum in exilio sequatur, blandioribus etiam verbis & sapientius adhortatur; infortunium esse, quod sibi imminuit, æquo animo ferendum. Et tamen hanc ipsam causam ad diuortium sufficere ait CARPZOV. *Iurispr. consist. Lib. 2. def. 177.*

§. III. Vel pone, maritum ab vxore discessisse & castra secutum, ibi vero quod numeros deseruisset, aurium abscissione & patubuli stigmatate fronti iniusto mulctatum fuisse, nunc iterum domum

domum rediisse, suamque in torum repetere vxorem. Sane vxor, secundum regulam diuortium facere nequit. Nam nec hic adulterii reus est maritus, & quamuis forte animo nunquam redeundi ab vxore discessisset, tamen nec pro malitioso desertore haberi potest, quia ante sententiae, super desertione latae publicationem domum reuertitur vxoremque suam repetiit. Et tamen hanc causam sufficientem esse ad diuortium existimauit facultas nostra iuridica in memorabili Responso, quod insertum reperitur dissertationi Excell. DN. WEBERI nostri *de successione superstitis coniugis inopis, ad Auth. praeterea C. unde vir & vxor.* Pone denique, insidias vitae marito ab vxore structas, aut eandem marito plane venenum propinasse, suumque occidendi propositum ad vltimum vsque actum deduxisse, maritum autem medicorum ope & auxilio a periculo vitae liberatum & pristinae sanitati restitutum, nunc diuortium per Deos omnes flagitare. Sane nec tum quoque, vi regulae communiter receptae, ab hoste sua domestica vnquam liberabitur bonus maritus: namque adulterii suspecta vxor non est, quia istae insidiae ab aliis longe causis, quam ab adulterio & libidine proficisci possunt. Neque etiam, si rem accuratius pensites, illae ipsae insidiae ad malitiosam desertionem referri possunt, quia malitiosus desertor est, non qui animo nunquam redeundi, ab vxore discessit, & complures annos lauit, sed qui saepius citatus emanfit, & ad coniugem suam reuertenti contumax derectat; quin si desertorem facti poeniteat, idemque ante latam sententiam redeat, & coniugem desertam in thorum recipere velit, diuortio locus haud conceditur, immo potius si deserta pars consentire nolit, ipsa incipit desertoris loco esse, & per legitima remedia ad redintegrandum matrimonium compelli potest. Ex quo consequitur, vxorem, quae maritum veneno aliisque modis necare constituerat, pro malitiosa desertrice haud esse habendam, quamdiu eidem se cohabitare & ad frugem redire velle declarat. Et tamen propter insidias vitae structas locum diuortii concedunt IOACHIM. A BEVST *de matrim. §. 9. p. 112.* STRYK. *de dissens. spons. sect. 5. §. 9. seqq. & alii multi.*

§. IV. Igitur communis doctrina euangelicorum de diuortii duo habet incommoda & dubia longe grauissima. PRIMO

enim non satis cohaeret, dum communiter & in praxi quoque nonnullae causae admittuntur, quae nec ad adulterium nec ad malitiosam desertionem referri possunt. DEINDE & in aliis causis quam maxime dura adhuc & inhumana est, quia animos, quos dolus aterutrius, vel sua natura iam dissociatos reddidit, inuitos captiuat, & parti ceu innocenti iniungit, vt infelici coniugio suo, cum perpetua animi aegritudine, sine omni spe, demum & quotidie immoriatur, & adeo matrimonia fiant perpetua innocentium supplicia. Ex his ipsis rationibus non semel de veris fundamentis doctrinae de diuortii, paulo aliter ac vulgo fieri solet, iaciendis, cogitaueram, donec anno huius seculi XV. in Academia Fridericiana honores Doctorales mihi capessendi essent: tum enim non abs re me facturum esse existimaui, si pro ingenii mei modulo, loco speciminis Academici, ea qua fieri potuit, breuitate, id thema ventilarem. In eoque illustrando paulo liberius quidem mentem meam explicui, ac praemissa quaestionis tractatione historica, remotis quaestionibus praeiudicialibus aliisque dubiis, tandem *cap. III. §. 15.* ita statui: Principem euangelicum, salua lege diuina, posse infelix matrimonium dirimere, ob alias etiam causas, quam adulterium & malitiosam desertionem, modo sint graues h.e. tales, quae fini matrimonii eiusdemque essentiae contrariae sunt, & pacti coniugalis in his violationem in se continent: idque directo vel per indirectum. In quibus omnibus ita versatus sum, vt nihil absque solida ratione & doctorum virorum suffragio a me prolatum esse confidenter auisim affirmare.

§. V. Auide statim excepta dissertatio fuit, pro genio seculi, cui quicquid sub specie nouitatis se commendat, quam maxime gratum acceptumque esse solet. Fuerunt & viri cordati, siue non vulgariter eruditi, quibus non displiceret ista opella, partim, quod in quaestione, quam difficillimam & latebrosissimam appellat summus in ecclesia Doctor, Augustinus, caute me viderent processisse, eamque haud prorsus illotis manibus pertractasse, partim, quod perspicerent, me a praeeiudiciis, si non omnibus, saltem plurimis, quam potui maxime, mihi cauisse, & sincerum veritatis studium, vna cum libertate aliqua, non molesta

molesta quidem & contentiosa, sed decenti & ingenua, tantum non ubique sectatum fuisse, quod vel scripta hanc in rem publice edita passim testantur. Interim, sicut est in rebus humanis comparatum, ut nihil simul omnibus placere possit, ita mea quoque dissertatio mox plures nata fuit aduersatores & disceptatores. Primus fuit Theologus non infimae famae I. M. LANGIUS SS. Th. D. eiusdemque olim in Academia Altdorfenſi P. P. ordinarius, nunc Ecclesiarum Inspector Primistauiensis, in peculiari opere Germ. quod inscribitur: *Gründlicher Beweis, daß die Diuortia oder Ehescheidungen iure naturae verboten seyn, und nur erst nach dem Sünden-Fall im kläglichen statu legali ihren Platz bekommen haben, &c.* In eo autem, cum & ipse plures diuertendi causas praeter adulterium & malitiosam desertionem legitimas esse affirmasset, id saltem grauius tulit, me ex aliis & diuersis a se principiis deducere propositionem secum communem. Quae in re, cum paulo contentiosus loquutus fuisset, quin nec ab iniurijs verbis abstinuisset, Vir Theologus, qui ad haec studia minime natus, id tamen sibi negotii dari crediderat, ut in rebus nunquam accurato examine a se perpensis, ipse veluti somnians, oculatissimos viros in luce meridiana coecutiisse palam clamaret, ego quoque, praeter natiuam animi bonitatem paulo commotior, sequenti anno, cum Kiliae versarer, ibidem Apologiam ei opposui, cui titulus *Abgendsichtigter Gegen-Beweis &c.* quae nihil quidem fellis, non modicum tamen, fateor, diluti salis habet. Huic ipsi Maxime Rev. Theologus, quo spartam, quam semel infeliciter ornandam susceperat, vltimus quoque haud deserere videretur, de nouo opposuit macilentam defensionem, sub specioso, si Dijs placet, titulo: *Göttlich triumphirende Wahrheit seines gründlichen Beweises &c.* In qua, cum ad quaestiones inter nos principaliter controuersas ne quidem descendat, sed earundem discussionem signatis verbis ab aliis Theologis petat, & tantum non emendicet, ipse autem, quo aliquid fecisse dicatur, id vnice agat, ut profigatissimam quaestionem de iure nat. paradisiaco denuo e latebris euoluat, eo ipso sane Maxime Reu. Theologus causam suam prodidisse & deseruisse dudum viris doctis fuit iudicatus.

§. VI. Alter aduersariorum lucem sustinere non ausus sub larua GERMANI CONSTANTIS latere voluit, quo audacius posset mendaciorum tenebras offundere, aut potius tuipem in rebus moralibus ignorantiam, & spuriam animi sui affectionem, quam sane tractatus eius moralis de AMORE vbique proddit, ipse de industria tegetet. Eum autem Celeberrimi Domini Auctores *Bibliothecae Separatae Hallensis P. V. p. 400. seqq.* ex merito perstrinxerunt, mihiq; in scribendi genere contentioso parum exercitato & non libenter occupato optatum otium fecerunt. Succedit denique nouus & tertius disceptator *Cl. Auctor dissertationis inauguralis. quae superiore anno Wittenbergae prodiit sub titulo: Sana de iure principis euangelici circa diuortia doctrina &c.*

§. VII. Scopus huius dissertationis a mea scribendi ratione prorsus alienus est. Voluit scilicet disceptator loci, in quo scribit, eiusque receptorum hypothesium rationem in consilium adhibere, in eoq; studio imitari alios, istius Academiae ICtos celeberrimos, a quorum gloriae participatione suae quoque famae non modicum momentum accessurum esse putauit: in primis vero Magnifici Domini Auunculi vestigia premere consultius esse duxit, quam vt operose ipse in rei veritatem inquireret. Ego contra in mea dissertatione nudam & solam veritatem, sine omni alio respectu sectatus sum. Hinc tam diuersa vtriusque tradendi thematis ratio. Ego praemissa proluxa & accurata tractatione historica, quae ipsi quoque themati non vulgarem accensura est facem, quaestiones praeiudiciales, non sine debita accuratione, examinaui, tum quoque alia dubia & obiectiones fere omnes debite discussi, adhibitis in subsidium non patrum modo, & orthodoxissimorum Theologorum, sed & ICtorum aliorumq; doctissimorum virorum, quin, ne quid partium studio dedisse videar, ipsorum etiam catholicorum sententis, quibus in vtramque partem ponderatis, quo inclinaret veritas, eodem & ego thematis decisionem sine omni praeiudicio, proprio suo marte & pondere decurrere patienter tuli, aequo animo laturus, quacunque parte veritatem amplecti & exoculari mihi licuisset. Auctor dissertationis Wittenbergensis contra difficilem hanc & *pertaediosam*, vt ipse statim

in

in prooemio facetur, *viam fastidit, & alto supercilio contemnit, ac facili negotio rem traditurus, procul habito capite historico, quaestiones praecudiciales, maxime controuersas, & vulgo, ac a se quoque male intellectas: matrimonium iure diuino eoque vniuersali esse indissolubile. Saluatoris de matrimonio & diuortii doctrinam legis proprie sic dictae & forensis habere rationem, & alias eius commatis plures, sine vltiore examine pro veris amplectitur, ad quas probandas nil rationis, parum coloris adfert, in auctoritate eorum placide acquiescit, quibus placuisse legem sibi dixerat: mea vero dubia, non eo, quo extant in ipsa mea dissertatione, ordine, sed prout instituti sui postulabat ratio, expendit, aut vt verum fatear, omnia quae grauiter & considerate a me dicta sunt, vel non intelligit, & in alienum sensum detorquet, vel iis tamen parum aut nihil reponit. Et hac arte, his demum mediis, non sine insigni *κατασολογία*, confusione, & perpetuis contradictionibus ac paralogismis, talem demum quaestionis decisionem abs se impetrare potuit, quae scopo ipsius, nec non loci, in quo scribitur, genio, receptisque sententiis nullatenus vero veritati conuenire posse videbatur. Illa vero ita sese habet: NON POSSE A PRINCIPE ALIAM ADMITTI DIVORTII CAUSAM QVAM QVAE, VEL AD ADVLTERIVM, VEL AD MALITIOSAM DESERTIONEM REFERRI IURE POTEST.*

§. VIII. Mea de diuortii sententia in eo cum recepta haecenus hypothese de restricta eorundem licentia conuenit, vbi lege proprie sic dicta, aut decreto superioris diuortia ad duas & solas causas adulterii ac malitiosae desertionis sunt reducta, Ictis aut Consistoriis fas non esse, alias causas aequae graues vel grauiores pro dissoluendo infelici matrimonio admittere, ue sub praetextu interpretationis doctrinalis legis, laetioriam potestatem sibi arrogare videantur, eoque Principum voluntas prorsus elusoria reddatur: *vid. Cap. 3. Dissert. nostrae §. 29.* Sed vbi talis lex prouincialis restrictiua nulla adest, tunc sane quominus Consistoria alias quoque diuortiorum causas admittant, haud quicquam aliud magis obstare videbatur, quam dicta saluatoris *Matth. cap. V. & XIX. iunct: Deut. c. 24.* Alii enim ea pro legibus posituius vniuersalibus habent

B

alii,

alii pro legibus quidem euangelicis, sed quibus vim legis proprie sic dictae & forensis, adeoque Christianos saltim obligantis inesse putant: hinc quoque in mea Dissertatione duo ista dubia ut remouerem, antequam ad quaestionem principalem procederem, sedulo & diligenter incubui, & de primo quidem ab initio *cap. II. de secundo autem in cap. III. §. 7. sq.* assatum &, vt puto, non sine rationum momentis dixi. Quoniam vero in tota ista contro- uersa, quae de diuortii mihi mota est, obseruauit, disceptatores meos, & ipsum quoque Auctorem Disputationis Wittenbergen- sis passim circa principia haerere, nec, quicquid etiam obtendant, satis habere cognitum, quid sit lex proprie sic dicta, quid lex eu- angelica, aut praecipuum virtutis, quid lex positua & vniuer- salis, aut quid sit legis habere vim & potestatem; quae omnia tum propter aliena studia, quibus sunt innutriti, tum propter ali- quam eorum ignorantiam, accedente cum primis in defendendo pertinacia, aut prorsus non, aut saltim difficulter nunc demum cognoscere nedum a me discere potuerunt: igitur quaestiones istas praediuiciale in gratiam disceptatorum tantisper seponam, & quo facilius mihi cum iis conueniat, fundamenti loco primo de genuino sensu istorum S. Scripturae textuum ero sollicitus, quo facto, deinceps iterum ad quaestiones illas praediuiciale, & vexata dubia mea reuerrar, meamque circa illa omnia senten- tiam aduersus Auctorem Wittenbergensem vindicabo. Habeat igitur tantisper legis vim primaeva matrimonii institutio: ea ta- men non inuita, Deus ipse ob turpe facinus diuortia admisit *Deut. 24.* Sit lex positua vniuersalis de restricta diuortiorum li- centia: Deus tamen ipse turpitudinis causas exceptit. Habeat vim legis proprie sic dictae & forensis lex euangelica *Matth. C. V. & XIX.* Ipse tamen saluator ibidem propter causas *πρωτείας* diuor- tiis locum concedit: ergo fundamentum totius quaestionis posi- tum est in explicatione istorum S. Scripturae textuum

§. IX. Tametsi vero in ipsa Dissertatione mea *Cap. 1. §. 3. Cap. 3. §. 11. & 29.* & maxime in *Apologia Germanica* aduersus S. R. Theologum D. LANGIUM id a me iam actum fuisse videri poterat; tamen quia pro instituto & paucis tantum ibi men- tem meam explicui, id nunc operam dabo, vt paulo prolixius istorum

istorum textuum genuinam explicationem summa, qua fieri potest, perspicuitate & euidencia sistam. Sane enim in vocis vi recte cognita totius saepe quaestionis cadro vertitur, quae vnus istius vocis expositione clarius, quam multis columnis, paginis & foliis euoluitur. Et contra qui vel vnus vocis vim & potestatem non recte cognitam habent, plurima saepe verba superuacaneae & inutiliter profundunt, magnosque libros & commentarios in cassum consiciunt, ac in amne sedato, Aegei maris fluctus concitant. Quod vti per se satis clarum est, ita in materia de diuortii vel solus *πορνείας* & *συλητροκαρδίας* significatus comprobare potest.

§. X. Suppono autem in hoc argumento, quod nec ab aduertiariis meis haecenus in dubium vocatum fuit, nec, ut opinor, a quoquam negari poterit, 1) Saluatorem nostrum generatim in quam plurimis locis noui testamenti cum legibus Mosis politicis & forensibus perfectissimam suam doctrinam moralem contendisse, idque ideo, quia in falsa ista persuasione fuerant Iudaei, ac si per obseruationem legis Mosaicae forensis, diuinae voluntati aeternae, eiusque iustitiae ex asse facerent. Vnde saluator, diuinae voluntatis interpres, per exempla sanctissimorum suorum praecceptorum moralium docet, quam longe plura diurna iustitia requirat, quae prorsus sunt extra publicas tabulas Mosis; eoque in illis locis non opponit leges proprie sic dictas legibus propriis. 2) Suppono, vbi de vero sensu legis Mosaicae quaestio fuit, saluatorem suam sententiam nullatenus legibus Mosaicis ipsis opposuisse, sed corruptis tantum & peruersis Rabbidorum explicationibus, eorumque impuris traditis, a quibus verum textus Mosaici sensum grauiter vindicat eumque pristino suo nitore restituit. Vtrumque probat admirabilis illa, quae est inter vetus & nouum foedus, inter regulas virtutis & iustitiae, harmonia, & quia alias Christus esset dicendus nouus legislator, quod citra notam haereseos affirmari nequit: probant id vterius infinita fere noui Testamenti loca, vide MATTH. V. XV. 1-9. XVI. 11. 12. XXII. 23-40. XXIII. MARGI II. 23-28. III. 22-27. VII. 1-23. XII. 28. 34. 38. LUCAE V. 30. seqq. VI. X. 25. 37. XI. 37-52. XII. 1. XIII. 14-16. XIV. 15. XV. 2. 10. XVI. 14. 17. XX. 21. seqq. IOHANNIS VII. 15. seqq. VIII. 3-11. Idem igitur

obliuendum quoque in textu nostro, de cuius explicatione quaeritur *Matth. V. 31. 32. & XIX.* Quod vltius ex ipsis quoque personis patet, quibuscum Christo in hac quaestione lis fuit. Illi autem fuerunt Pharisei, qui vniuersim de Salvatore nostro eam habebant conceptam opinionem, quasi vellet prorsus abolere Moysen, eiusque S. S. legislationem, surrogatis nouis legibus & institutis, antiquare, *vide Matth. V. 17.* Hanc ipsam falsam imputationem ita quidem declinat & euertit Saluator, vt per totum fere *Cap. V.* tum in aliis dogmatibus, maxime in doctrina de diuortiis ostendat, se nullatenus a Patre suo missum esse, tollendae legis Moisaicae & destruendae gratia, sed potius, quia legis forensis vsus tantum terminis huius vitae includitur, ideo se venisse, vt eam perfectiore sua doctrina morali suppleret, vel completeret; in hoc enim *proprie & principaliter* Saluatoris nostri officium vertitur; tum etiam *& secundario*, vt pro oblata occasione verum legis Moisaicae sensum vindicaret, aduersus corruptas & falsas magistrorum interpretationes, de vaga illa & libidinosa diuortiorum licentia.

§. XI. Igitur patet in nostro textu principaliter agi de vera explicatione textus Moisaici *Deut. XXIV.* cum quo priusquam explicationem Saluatoris nostri *Matth. V. & XIX.* contendamus, id nobis ante omnia agendum erit, vt veram & perspicuam istius analysin logicam & grammaticam praemittamus, ex qua vel parum quoque oculatis de vero eius sensu constare poterit, quem postmodum cum explicatione Saluatoris nostri conferemus, eaque ratione illud haud difficulter obtinebimus, diuinam Saluatoris explicationem & cum nostra analysi grammatica conuenire eamque confirmare, & textum quoque Moisaicum recte intellectum explicationi Saluatoris lucem aliquam adferre. Textus autem ipse *Deut. XXIV.* ita sese habet: *QVANDO DVXERIT VIR FOEMINAM, ET MARITAUERIT EAM, ET SIT, VT NON REPERIAT GRATIAM IN OCVLIS EIVS, QVONIAM INVENIT IN EA TVRPITVDINEM ALIQVAM ערוה דבר ERVATH DABAR; SCRIBET EI LIBELLVM EXCISIONIS ET DABIT EI IN MANVS EIVS, ET EMITTET DOMO.* In eo autem illud cuique cognitum est, & vel ex iis, quae iam tum inter Iudaeos disputata fuere, constat, circa

circa sensum & explicationem vocum ערות דבר *Eruath dabar* omne haerere dubium.

§. XII. Tametsi vero vocabulum ערות *Eruath* absolute & simpliciter positum, aut cum persona aliqua simpliciter coniunctum, in sacra scriptura denudationem corporis, seu detractionem pudendorum significat a radice ערה *nudavit*: vti *Gen. IX. 22.* de Chamo dicitur, quod viderit: את ערות אביו *eth eruath abibb*, nuditatem patris sui, cum in proxime praecedenti versu 21. habeatur, quod Noachus in tentorio cubuerit, resectus seu denudatus, ex quo in Leuitico quoque vox *Eruath* nunc pro incestu, nunc pro adulterio, nunc pro coitu, cum vxore immunda, seu menstruis laborante, fumitur. Tamen in nostro textu *Deut. XXIV. 1.* vox ista *Eruath* non simpliciter, sed in constructione ponitur cum voce דבר *dabar*. Ex quo vocis statu constructo pronum est colligere, eam hic in proprio suo & strictiori significato haud commode accipi posse, sed in latiori sensu, alias quoque turpitudinis species indigitare. Id enim in S. literis inusitatum non est, vocem *Eruab* alias quoque res turpes & detestandas significare, vel ad actiones foedas transferri, quas contactas cupimus & ab oculis remouemus, quod vel ex *Gen. XLII. 9.* patet, ubi eadem vox constructa reperitur cum voce הארץ *baarez*, ita vt de filiis Iacobi dicatur, quod venerint ad videndum: את ערות הארץ *eth eruath baarez*, nuditatem terrae. Vbi sane per se denudatio pudendorum nulla ratione intelligi potest; nam licet illud lubenter concesserim, locutionem metaphoricam ibidem haberi, a denudatione pudendorum desumptam, eo ipso tamen probatur, vocem *Eruab* non semper proprie esse accipiendam, sed metaphoricam quoque & impropriam significationem admittere, pro quacunque turpitudine etiam rerum inanimatarum.

§. XIII. Vocabulum autem דבר *dabar*, cum quo *Eruath*, turpitude in constructione reperitur, significat rem, actionem, factum aliquod, adeoque propria sua vi & potestate extendit significatum vocis *Eruab* ad alias turpitudinis species, praeter denudationem corporis. Vnde patet, sensum textus Mosaici hunc esse: si vxor non inuenerit gratiam propter foedam quam-

dam rem vel actionem, quae scilicet marito suo aequae turpis ac intolerabilis videretur, quam denudatio pudendorum, ipsum posse vxori suae literas diuortii dare. Nam si Deus per foedritatem, propter quam diuortio locus sit, tantum violationem thori seu adulterium indigitare voluisset, vocem *Eruath* simpliciter posuisset, quae sola refectionem pudendorum seu adulterium propria significatione expressisset: dum autem turpitudini addit vocem *dabar*, necessario inde sequitur, illam turpitudinem vxoris, quae diuortio locum concedit, in lato suo significato, generatim omnes foedas & turpes actiones in se complecti, propter quas iustum horrorem concipit maritus, qui tam arctae societati, qualis est coniugalis, aequae contrarius est, quam impudica mulieris denudatio coram aliis viris. Quapropter septuaginta interpretes quoque verba textus Mosae *Eruath dabar* recte reddiderunt per ἀρχημον πράγμα: ὅτι ἐυρηκεν ἐν αὐτῇ ἀρχημον πράγμα, quod inuenit in ea turpe facinus. Et in latina versione IMMANVELIS TREMELLII & FRANCISCI IVNII recte legitur, quia inuenit in ea turpem rem aliquam. Nam cum lege Mosi adulteria morte punirentur *Leuit. XX. 10.* sane ex eadem lege repudia in iis locum non habuisse videntur,

§. XIV. Quod tamen per se clarum esse videtur, tamen viterius probari potest ex praecedenti *cap. Deut. XXIII. 15.* vbi de militibus, alium suum exonerantibus, & excrementa terra tegere iussis, haec ipsa iterum locutio adhibetur, ne appareat in te *ערוות דבר eruath dabar*. talis actio turpis, qualis est refectione pudendorum, vnde & Rabbi ABEN ESRA textum nostrum explicat per turpitudinem *או כריביר במעשה או bemaashe obedibbur* factio aut sermone. Quorsum accedit constans ecclesiae Hebraicae praxis, quae, secundum restrictiorem & veriorum Summaeorum sententiam praeter adulterium, alias quoque graues causas diuortiorum nunquam non admisit, vide *ecclesiast. cap. XXV. 18. seqq.* vbi intolerabiles mulierum mores viuuis coloribus depingit & demum *v. 34.* ita concludit sacer scriptor: *Si non ambulat ad manum tuam, a carne tua rescica illam. da libellum & dimitte illam.* Et Iosephus de se ipso narrat, τὴν γυναῖκα μὴ ἀνευκόμεν τοῖς ἡθεῖον ἀπεπεμφάμεν πρὶον παιδῶν γενο-

γενομένην μητέρα, se, offensum moribus vxoris, eam dimisisse tametsi trium filiorum iam factam matrem, quem locum Iosephi etiam allegat HAVEMANN, in *Gamolog. lib. 3. tit. 5. §. 2. pag. 394.* Vnde hunc ipsum etiam textum Mosaicum post alios multos Theologos & Ictos B. GERHARDVS quoque in *loco de coniugio §. 596.* explicat de quolibet graui crimine, quod legibus publicis morte punitum non fuit.

§. XV. Quamuis autem, vt vidimus, lex Mosaica diuortia tantum ob iustam & grauem causam permittit: tamen inter Iudeos tam libidinosa & vaga viguere diuortia, quae nulla prorsus lege vel legitimitata vel excusata fuere. Nam dicta lege Mosaica minimum ad diuortia requirebatur, 1) vt foedi quid commisisset vxor, 2) vt omnis reconciliationis spes abrumperetur. Et tamen adeo licenter iis vsi sunt Iudaei, vt leuissimae causae suffecerint, v. g. si cibus nimis coctus, vel cum *formosior vxor potest haberi* secundum AKIBAM. Maxime vero omnium licentiosius haece diuortiiis patrocinauerunt Hilleliani, & qui eorum principis erant innutriti Pharisei. Hi enim sunt, qui subdole & capriose Saluatori quaestionem de licentia diuortiorum proponunt *Matth. XIX. 3. add. Defens. meam Germ. §. 10.*

§. XVI. Ordinis igitur ratio requirit, vt hunc ipsum locum cum textu Mosaico conferamus, & quomodo vnus ex alio lucem & explicationem capiat, videamus, *Tunc adierunt eum Pharisei, tentantes eum & dicentes, licetne homini dimittere vxorem suam κατὰ πάσιν αἰτίαις quavis ex causa,* vt recte iterum habet Tremellii & Iunii versio. Fuerunt ergo Pharisei, qui ex mente & sententia Hillelianorum ex Salvatore quaeabant: *Licetne vxorem suam dimittere?* Vbi notandum, in ipsa quaestione nullam adhuc fieri legis Mosaicae mentionem. Igitur Christus quoque, vt ad quaestionem propositam debite responderet, non statim ad legem Moysi delabitur, sed memor officii, cuius ob-eundi causa primario in hunc mundum venerat, primo loco & principaliter inculcat sanctissimam suam doctrinam moralem de perfectione amoris coniugalis, eamque tacite saltem contendit cum legibus Mosaicis, proprie sic dictis, quippe quae foerentes tantum erant & politicae, adeoque externe tantum & in foro suos obseruatores iustificanc, aeternae vero diuinae vo-

luntati

luntati & iustitiae haud quaquam satis faciunt, in quo communi^s Iudaeorum error fuit. *Ille vero, respondens, dixit eis: Non legistis opificem, ab initio fecisse masculum & foeminam? Et dixisse: Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori suae, & qui duo fuerunt, erant vno caro.* In memoriam ipsis reuocat primae institutionis formam & primaeuam matrimonii foundationem, quae regulis perfectae virtutis innixa ex intentione Dei O. M. diuortii nullum relictura fuisset locum, quia, si homines perseuerassent in amoris ista puritate, a Deo intenta, mala omnia, vnde hodie diuortia fiunt, vel sua sponte ab iis exulassent. Adeo enim ex intentione Dei, in primo protoplastorum coniugio expressa, sibi adglutinantur omnes coniuges, vt velut glutine coniuncti, qui duo erant homines, nunc ob amoris coniugalium vehementiam, & perfectissimam voluntatem in vnam conspirationem, velut vnus homo fiant, nam caro *per synecdochen* pro toto homine in textu dicitur. Pergit diuinus interpres: *Itaque non amplius sunt duo, sed vna caro: Quod ergo Deus coniunxit, homo ne seungat.* Quod ergo Deus ex intentione sua arctissimum voluit esse matrimonii vinculum, quasi duorum perfectissimam & ad summum productam amicitiam, *id homo non seungat*; id coniuges ipsi, ne leui quidem sua culpa, praesumant dirumpere: cogitent enim, se interna oblatione ad regulas diuinae iustitiae & virtutis esse obstrictos, quae pietatem exigunt, verecundiam, aequitatem, honestatem, amoris coniugalium puritatem & vehementiam, modestiam, tolerantiam, quae omnia sunt extra publicas tabulas Mosis.

§. XVII. Haec Saluator primo & primario officio suo functus, Iudaeos docuit, quam longe plura iustitia diuina in materia amoris coniugalium & diuortiorum ab ipsis postulet, quam lex Moyse, & qua ratione ipse tanquam diuinus doctor in hunc mundum venerit, supplendae & complendae istius legis Mosaicae causa. Sed instant Pharisei, & nunc demum legem Mosis Saluatori expressis verbis obiiciunt *commate 7. Cur ergo Moses mandauit dare libellum discissionis & eam dimittere?* Ergo igitur Moses cum diuina voluntate pugnare, eidemque contrarius censeretur, quia diuortia permisit? Aut numquid existimas, Deum adhuc alia a nobis desiderare

derare officia, quae sunt praeter & ultra legem Mosis, cuius obseruatione tamen nos credimus diuinae iustitiae ex asse satis fieri? Respondet Saluator: *Moses pro duritie cordis vestri permisit nobis dimittere uxores vestras.* Moses cum aeterna voluntate & iustitia diuina non quidem colliditur, nec eius officium diuinae intentioni prorsus contrariatur; sed tamen ab eadem est diuersum, eidemque velut subordinatum & in ordine secundum: vnde nec vniuersam & aeternam Dei iustitiam ambitu suo complectitur. Nam prima Dei intentio & aeterna haec est, vt vos cum vxoribus vestris secundum regulas perfectae virtutis viuatis. O beatos vos, si isti diuinae intentioni apud vos locum reliquissetis: tum demum iustitiae diuinae ex asse satis fecissetis. Si voluissetis perseverare in primaeua puritate amoris; tum sane non habuissetis opus Mose eiusque legislatione, iusto enim lex non est scripta, quia propria sponte plus facit, quam omnes leges forenses & politicae ab ipso exigunt. Sed vos estis duri corde; vos non vultis vestra sponte secundum virtutem viuere, nec ad eam sua natura cogi, & externis remediis adigi potestis: virtus enim virtus esse desinit, vbi imperata ac coacta est; quam ob causam etiam Doctorum & Ministrorum ecclesiae est, conuincere, docere, persuadere, non cogere, non corporalibus poenis adigere, quod ex catholicis quoque doctoribus egregie docet *Edmundus Richerius* in famoso scripto, *de ecclesiastica & politica potest. c. ii.* Sed vt ad rem redeam. Ergo Saluator innuit propter hanc duritiam cordis, *πρός τήν σκληροκαρδίαν ὑμῶν*, Iudaeis Mose & lege forensi opus fuisse, quae saltem ad decorem vitae civilis & secundum regulas iustitiae eorum mores componeret: nam omnis lex politica & forensis praerequirat *σκληροκαρδίαν* hominum secundum regulas virtutis & pietatis viuere recusantium. Ille ipse igitur Moses demum lege sua politica & forensi vobis permisit uxores vestras dimittere. *Ceterum ab initio non erat sic.* Haec tamen non fuit prima & primaria Dei intentio in fundatione coniugii. Ergo lex Mosis vniuersam & aeternam Dei iustitiam non assequitur; nec vos obseruatione illius huic ex asse satisfacitis. Ergo lex Mosis opus habet complemento, & vobis plura incumbunt officia, quae sunt ultra tabulas Mosis, si vultis aeternam Dei iustitiam assequi.

assequi. Id quod fuit demonstrandum aduersus praeconceptam Iudaeorum opinionem, de qua in §. X. diximus.

§ XVIII. Quid igitur! Licetne lege Mosis ob quamcunque leuem causam vxores dimittere? Nam hoc principaliter in quaestione erat. Nunc ubi de vero sensu legis Mosaicae agitur, Saluator suam sententiam non amplius opponit legi ipsi, sed peruersis Doctorum interpretationibus, aduersus quas potius legem Mosaicam de diuortii vindicat & pristino suo nitore restituit. Explicat igitur in sequentibus authentica sua interpretatione textum *Deut. XXIV, 1. Dico autem vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, ut vulgo explicatur, ἐν μὴ ἐπὶ πορνείᾳ & alienam duxerit, moechatur.* Dubium omne iterum lateat in sensu vocis *πορνείας*, quae tametsi prima fronte videri poterat, in strictiori significato solum delictum carnis hic denotare, qualis vocis significatus alias quoque Graecis scriptoribus proprius & familiaris est, vid. Summe Reu. Theolog. IO. FRANCISC. BVDDEVS in *Theolog. Moral. p. m. 557.* tamen a vero non videntur aberrare, quia eam hoc loco alia quoque delicta & quamcunque facti turpitudinem designare existimant. Probat hoc (1) suppositum meum secundum §. X. non enim agebatur de correctione legis Mosaicae, sed de vera eius explicatione, aduersus libidinosam Iudaeorum diuortia. Iam vero ad oculum demonstrauius §. XI. XII. XIII. per voces *ערוּת דבאר Eruath dabar* in textu Mosaico non solum delictum carnis, sed aliam quamcunque grauem & turpem causam indigitari. Igitur Saluator in sua textus Mosaici explicatione grauius & cum praecautione adhibuit vocem *πορνείας*, ne legem Mosaicam correxisse aut eidem aliquid addidisse videretur: *πορνεία* enim eiusdem plane est significatus cum hebraico *ערוּת דבאר Eruath dabar*, quod comprobatur NIC. HEMMINGII locus adductus in *Dissert. mea p. 49.* & COCCIVS *T. 6. in summa Theol. loc. 7. C. 19. §. 13.* Nam 2) vox ista sua vi & potestate, apud sacros & profanos scriptores non solum *proprie, modo generatim* pro commixtione eorum, qui extra coniugium viuunt, modo etiam *speciatim* pro adulterio fumitur, sed & *improprie* nunc idololatriam, nunc omnis generis lasciuiam & impuritatem denotat;



notat, quo sensu SVIDAS: πορνεία καὶ ἡ ἀνομοσύνη παρὰ τὸ πεπωρωμένον ἔχειν τὸν νότον πορνεία etiam est intemperantia, quod intemperantes mentem habeant induratum: Quin generaliter omnis generis peccatum, & quamcunque facti turpitudinem designat. In hunc sensum Gregorius Nazianzenus, *orat. XXXI. p. 507.* Οὐ περὶ σώμα μόνον ἀμαρτία, πορνεία καὶ μοιχεία λέγεται, ἀλλὰ καὶ ὅτι ἐν ἡμαρτες, καὶ μάλις αἱ περὶ τὸ θεῖον παρανομία. Non peccatum illud solum, quod in corpore admittitur, scortatio & adulterium dicitur, sed & quodvis aliud flagitium, quod aduersus diuinum Numen perpetratur. Imo apud Iudaeos omne crimen, quo abalienatio fit ab eo, cui obedientia debetur, in specie illa voce designatum fuisse, testis est ORIGENES *Homil. 7. in Matth. & AVGVSTINVS L. 1. de sermone Domini in monte.* Ita IVDICVM *cap. XIX. v. 2.* vbi de concubina aut vxore Leuitae loquitur sacer scriptor, quod scortata fuerit, id mox explicat de obstinatione istius mulieris & malitiosa discessione eius in domum sui patris, vbi fuisse plenius quatuor mensibus. Sane enim in hoc significato locum illum accipiunt Rabbi KIMCHI, tum vetus quoque INTERPRES CHALDAEVS, IOSEPHVS & SEPTVAGINTA, quibus tanquam optimis linguae suae interpretibus, aduersus vulgatam lectionem fides est habenda, quod de discessione a praeceptis diuinis, de inobedientia populi & rebellionem passim quoque in sacris litteris πορνεία vsurpari soleat, *vid. Num. XV, 39. Ps. LXXIII, 27. CVI, 39. Ierem. III, 89. Ezech. XVI, per tot. & XXIII, 37. 43. Hosea II, 2. 5. IV, 12. seqq. 1 Cor. X, 8.* add. HIERONYM. BRÜCKNER. *decis. iur. matrim. cap. 13. n. 59. p. 426.* 3) denique hanc ipsam vocis acceptionem confirmat PAVLVS *1 Cor. VII, 12. 13. 15.* Quanam enim autoritate is praeter adulterium malitiosam quoque desertionem pro faciendo diuortio admittere potuisset, nisi verba Saluatoris, εἰ μὴ ἐπὶ πορνεία, sua propria vi latiore significato haberent; nec enim discessio a marito semper ex libidine aut adulterandi causa fit, sed & propter morum pertinaciam aliasque causas, v. STRYCK. *usu modern. ff. lib. 24. tit. 2. §. 30.* Igitur eo tendit summa responsionis a Salvatore datae. Mosen sane non legitimas libidinosas Iudaeorum diuortia, sed grauem demum & iustam causam lege Mosaica ad diuortia requiri, & qui praeter

causam *πορνείας* praeter grauem & iustam causam vxorem suam dimittit, is in textu nostro dicitur *moechari*, h. e. is secundum legem Mosi iniuste eam dimittit, & qui taliter *dimissam duxerit*, iudem *moechatur*, iniuste quoque eam ducit, nam lege Moisaica a priori vinculo coniugii nondum liberata est.

§ XIX. Ex dictis patet, quam egregie Saluatoris nostri explicatio cum textu Moisaico conueniat, & quam exacte hic iterum cum explicatione Saluatoris conspiret. Id enim infrequens non est, ut textus noui testamenti dubii aut obscuri ex locis veteris testamenti tanquam suis authographis sint explicandi. In quibus omnibus me humani quid passum fuisse ut credam, regulae, quas pro explicatione S. Scripturae commendant summi in ecclesia patres IO. CHRYSOSTOMVS & CYRILLVS ALEXANDRINVS, non permittunt. Hinc enim in *assertione XX. thesauri*. Primum quidem oportet, ait, cum, qui ad investigationem sacrarum scripturarum accedit, obseruare tempus, quo aliquid dicitur & personam, a qua dicitur, propter quid & de quo dicitur. Ita enim, qui recte sentire volunt, citra vllum errorem quae scripta sunt, intelligent. Ille vero in Homilia super illud Hieremiae: Non est in homine via eius: Contextus, ait, scripturae omnem seriem & pro quibus dicta sunt illa, a quo vel ad quem quam ob causam, & quomodo expendamus. Non enim dicere sufficit, aliquid in scriptura scriptum reperiri, neque temere auulsa ac discerpta diuinitus inspiratae Scripturae membra nuda, & a reliquo contextu serieque sermonis seiuncta sumere, ac nimia licentia confidentiaque ipsis illudere: sic enim praua dogmata multa in nostram hanc aetatem inuecta sunt, dum negligentioribus persuasit diabolus, ut oblique distorta testimonia scripturae proferrent, vel additis subtractisque nonnullis tenebras veritati offunderent.

§ XX. Has ipsas autem regulas a me obseruatas quam exactissime fuisse, cuiilibet facile cognitum esse potest. Videat igitur Maxime Reuerendus Theologus D. LANGIVS, ne propriae confidentiae nimium indulserit, aduersus monitum S. Chrysostomi, quando in *defensione sua Germanica*, Apologiae meae opposita, tamen ad ea omnia, quae in hunc sensum a me ibi dicta & disputata sunt, ne verbum quidem habet quod reponat, tamen satis audacter, *malle se*, ait, cum spiritu sancto sentire,

quoniam

quam cum meis Rabbiniis, & aliis profanis Scriptoribus, Selden^o scilicet & Lightfoot. Videat secundum Chrysoftomum, ne sua confidentia sibi aliisque turpiter illudat, & veritati tenebras offundat. Sed quid opus est pluribus verbis? ipsi Apostoli in sua responsione ad Salvatorem *vers. 10. capit XIX.* hanc ipsam nostram explicationem confirmant. *Si tale est negotium hominis cum vxore, aiunt, non expedit vxorem ducere.* Duram esse putant seruitutem, domi ferre morosam, inuenustam, rixosam, temulentam, aut simili mediocri vicio molestam mulierem. Itaque loquuntur vt carnales, pro libidinosa diuertendi licentia ex mente Hillelianorum, quorum sane philosophia maritis admodum grata & accepta fuit. Quare eorum stultitiam refellit in *vers. seqq.* Saluator. Peculiare esse continentiae donum, nec ququam posse sibi perpetuam continentiae legem dicere, hinc & propter carnis nostrae incontinentiam modica illa in vxore vitia patienter esse ferenda.

§. XXI. Ea vero omnia, quae hucusque profuse a me disputata sunt, fundamenti loco, eum in finem praemittenda esse existimaui, vt videant mei disceptatores, praconceptas suas opiniones, qualescunque fuerint, quaestioni principali de diuortiorum licentia, nullum sane patrocinium praestare. Nam tametsi daremus, esse leges positivas diuinas vniuersales, ad easque eam quae de diuortio est concepta, esse referendam: vident tamen ex mente tum ipsius diuini Legislatoris, tum Interpretis Christi, plures diuortiorum causas esse admittendas. Tametsi concederemus, primaeuam matrimonii institutionem legis proprie sic dictae vim & potestatem habere: vident tamen, ea non obstante, ipsam legislationem Mosaicam plures diuertendi causas admittere. Tametsi denique largiremur, leges euangelicas esse leges proprie sic dictas, iisque saltem Christianos in foro quoque obligari, vident tamen, hanc quae de diuortio tractat, secundum veram vocum significationem & Saluatoris nostri intentionem generalius esse conceptam, quam hactenus a quam plurimis creditum fuit. Ne tamen temere aut inconsulto quoque quaestiones istas praecudiciales negasse, aut in remouendis etiam aliis dubiis grauius impigisse videmur,

age aduersus Auctorem Dissertationis Wittenbergensis, ipsius pace, nunc vterius in arenam progrediamur.

§. XXII Auctor igitur Dissertationis Wittenbergensis statim *Tb. 1. Matrimonium*, ait, *iure diuino, coque vniuersali, recte dicitur indissolubile*. Equidem, si bene memini, hanc ipsam matrimonii indissolubilitatem, tum in ipsa Dissertatione, tum maxime in Apologia Germanica D. Langio opposita secundum intentionem Dei *absolutam* seu *simpliciter talem & primariam* libenter admisi; nam in creatione quoque & multiplicatione generis humani, haec prima fuit ac primaria Dei intentio, vt homines propter communem omnium cognationem, mutua caritate & beneficentia, ac cuiuscunque generis virtutum exhibitione se perpetuo exciperent, nec alter alterum ad contentiones, dissensiones, rixas & odia vel leui de causa prouocaret. Hic enim fuit beatissimus ille status gratiae, quem peccato protoplastorum eheu amisimus. Postquam autem homines imperio affectuum post lapsum sua culpa subiicerentur, eoque Deus primam suam & primariam intentionem obtinere haud posset, successit intentio Dei *secundaria & secundum quid talis*, seu pro corrupto hominum statu, huius haec velut summa capita sunt: *abstinetate modo ab iniuriis, ceterum viuere ex pacto*. Vno verbo, successit status legalis, in quo sunt omnes, qui secundum regulas virtutis viuere recusant. Secundum hanc diuini Creatoris intentionem secundariam, in statu hocce legali, licite introducta, varia humana instituta, quae ex intentione Dei primaria nullo modo probari possunt: imperium ciuile, subiectio, lex, seruitus, fora, iudicia, poena. Multa legitimata & excusata, quae intentioni diuinae primariae non omnino conueniebant: bella, damni dati reparatio, cautio, negotii vel contractus ob non seruata fidem dissolutio; diuortia & alia. Sane enim coniugibus secundum regulas virtutis coniugalis viuere recusantibus, vt diuortia concedantur potius, quam maioribus malis ansa detur, diuinae voluntati secundariae non est contrarium, modo ne temere ea fiant, sed ob graues demum & iustas causas concedantur. Et huc collineat mea distinctio inter regulas virtutis & iustitiae, in hac quoque quaestione de indissolubilitate matrimonii adhibita, *v. Def. Germ. §. 5. in fin.*

§. XXIII.

§. XXIII. Auctor Dissertationis Wittenbergensis, quo iure, quae iniuria haec distinctio a me prolata fuerit, hoc loco non disquiri, studio, ut videtur, & de industria, quod infra probabimus. Ille vero indistincte matrimonium, ait, esse indissolubile, idque probat ex divina matrimonii institutione, cui legis vim & efficaciam attribuit. Quod ipsum cum & nos quoque in dissertationis cap. II. §. IV. negauerimus, ea potissimum ratione ducti, quam & assertit Ill. DN. THOMASIVS in *inst. iur. diu.* alias quoque omnes istas circumstantias, quae in primaeua institutione adfuerunt, per modum legis esse obseruandas, v. gr. quod protoplasti nudi fuerint, quod institutio facta fuerit sub dio, a Deo ipso, sine sacerdotis interuentu, sine pacto matrimoniali, sine consensu & praesentia parentum & agnatorum &c. Auctor Wittenbergensis ipsius Ill. THOMASII cuneo procedit, eoque nos iugulare praesumit. Vah quid istud est? Viderat Ill. DN. THOMASIVS plerasque circumstantias ad matrimonium protoplastorum concurrentes ipsi negotio coniunctionis non fuisse adhibitas, sed copulatas a Deo protoplastos tales, quales, & in quo statu tunc inueniebantur, adeoque circumstantias istas proforsu fuisse extra actum institutionis matrimonialis, hinc potius dicendum esse putat THOMASIVS, omnes circumstantias negotii a Deo instituti hominibus per modum legis esse obseruandas, & pro essentialibus habendas, modo appareat, Deum in iisdem singulare quippiam & ad negotium ipsum pertinens intendisse aut eandem ex post facto iterum non sustulisse. Hoc clypeo gloriosus disceptator affirmationem sumit ex homine, quam non habet ex veritate: Poterat auctor Cl. ita ait Disceptator, §. 7. *ibef. 1.* hanc Praeceptoris sui responsionem, si ea non placebat, impugnare ac resellere prius, quam nobis ea rursus opponeret dubia, eoque id ageret, ut perabsurdos esse ostenderet, qui legis obtinere vicem primam coniugii restitutionem existiment. Mihi quidem cum Ill. DN. THOMASIO facile conuenerit, nec defuere rationes, cur argumento eius in mea dissertatione nullum locum dederim. Tu vero Cl. Disceptator vim argumenti Thomasiiani aut non intellexisti, aut causam tuam turpiter prodidisti. Cum enim non inhaeres huic dubio; cur non vrges? & cur iterum prouocas ad reiectionem distinctionem inter actus *substantialia* & *accidentalialia*?

Ec-

Eqquid demum est, quod profers §. VII. ea quae ad *substantiam actus non pertinent, saluo negotio principali adesse vel abesse posse docemur in triuivis*. Nonne vero haec ipsa negotii accidentalialia, hae qualescunque circumstantiae, quae ad substantiam actus minime pertinent, per legem fiunt necessariae? Circumstantiae septem testium, eorumque, vt & testatoris subsignatio, vt vno actu testamentum conficiatur &c. non pertinent ad substantiam testamenti, & tamen per legem adeo necessariae sunt factae, vt minimus in iis defectus totum testamentum vitiet. Ista solemnitas iure cessio. Ista solemnibus verbis concepta mancipatio, libripende & quinque testibus praesentibus facta, ad transferendum dominium per se non erat necessaria, & tamen nuda traditione olim dominium Quiritarium aut poterat transferri, sed lege Romana ad effectum eius transferendi istae solemnitates omnino fiebant necessariae. Igitur si primaeva institutio legis vim obtinet, omnes quoque circumstantiae in illa a DEO adhibitae necessariae sunt factae, vtut saluo negotio principali per se abesse potuerint: nisi probatum fuerit, circumstantiam aliquam ipsi negotio praecise non fuisse adhibitam, esse incidenter tantum negotio accessisse, aut eam ex post facto a DEO iterum sublatam. Quod vtrumque quoniam a te quidem, Cl. Disceptator, nunquam probatum iri praefaga velut mente suspicari poteram, en ratio, cur argumento Thomastiano nullum in mea dissertatione locum relinquere, aut ad illud respondere voluerim; loquor autem de vi legis proprie sic dictae, politicae & forensis. Nam primaeva illa matrimonii fundatio, quatenus intentioni diuinae primariae innititur & cum ea concidit, quin coniuges interna saltem obligatione constringat, vt, quantum in se est, secundum regulas virtutis coniugalis viuant nemo est, qui dubitat. Licet enim regulae virtutis *ius imperfectum* vocentur; id tamen *fixatione tertii*; cui ad exigendam virtutem deficit actio, non *ratione internae obligationis*, quae sane ad virtutes quoque nos valide constringit, & qui virtutibus inimici hanc obligationem nefarie negant, eos false perstringit LVTHERVS, quem perperam allegat censor in §. XIX. Also thut der Papisische Hauffe, wenn sie sagen, diese Gebothe Christi seyen nicht Gebothe, sondern nur ein Euangetischer Rath. §. XXIV.

§. XXIV. Sed nouo vtitur argumento Cl. Disceptator noster, quo, probet, primaeuam institutionem matrimonii *omni- no legis obtinere locum*. Nam ait in §. IX. *si illud cuiuslibet ex ipsa institutione Gen. II, 24, posse negant dissentientes potuerunt, hunc locum ex Matth. V. & XIX. commode admodum interpretari*. Ibi enim Christus Seruator, diuortiorum apud Iudaeos reprehendens licentiam, ad primam prouocat institutionem, dicendo: *Non legistis &c. Primam igitur institutionem tanquam perpetuam matrimonii normam Iudaeis proposuit, dubio procul id non facturum, si nil quicquam legis continere eam putasset*. Egregium vero, si diis placeat, argumentum. Iuraret aliquis, Auctorem non aliam normam adionum suarum moralium agnoscere, quam legem forensis. At vero, quam parum est, ad legem bonum esse, quam multa pietas, aequitas, temperantia, moderatio, honestas exigit, quae omnia sunt extra publicas tabulas. Hoc Seneca docet: quod etsi assequi grande est ac difficile, vt loquitur Cassianus, sequi tamen pulcrum atque sublime, aut si maius, in obligatione est. Adeone enim in rerum moralium cognitione experte esse potuisti, mi clare Disceptator, qui nescias, *normam cum lege non aequae late patere? aut differentiam esse inter normam suadentem & iubentem?* illa virtutis praecepta continet, haec est lex propria sic dicta & forensis. Ad primaeuae igitur institutionis formam prouocat Saluator, tanquam ad normam omnium perfectissimi, & veris regulis virtutis ac amoris coniugalis innixi protoplastorum connubii, vid. suppositum meum primum §. X. & quae dicta sunt in §. XVI. & XXII. Vnde igitur tua conclusio? vnde efficacia legis? Quae autem §. seq. X. hac occasione aduersus Ill. D. THOMASIVM disputas, ea lubens non examino, ne viro, mea qualicumque defensione longe maiori, suppetias ferre voluisse temere videar.

§. XXV. In §. XI. Censor noster, antequam hanc quaestionem dimittat, insignem adhuc fallaciam fingit. Ita enim natura comparati sunt illi, qui infeliciter fluctuant, vt quaecumque obuersione, vel obtorto collo trahant. Ex primaeua matrimonii institutione, eaque in nouo foedere repetita, in §. IV. cap. II. *Dissertationis meae*, negaui legem diuinam positivam vniuersalem probari posse, in qua re ita versatus sum, vt diser-

D

tis

tis verbis docerem, ne quidem legis vim habere primaeuam istam institutionem, vnde sua sponte consequitur, ergo eam nec legem vniuersalem quoque constituere. Censor autem ita argumentatur: Ex eo quod negauerim, vniuersalem esse legem primae institutionis, hinc saltim tacite me concessisse, eam tamen esse veram legem. *Hacc de prima coniugii institutione, quam si legem non esse, euictum dedisset Vir Cl. non habuisset, cur de vniuersalitate istius legis nunc disceptaret ulterius. Sed ipse, vt videtur, non magnopere confidit huic sententiae, adeoque saltim non vniuersalem esse legem illam adstruere conatur.* Egregia sane argumentatio bono disputatore parum digna. Sed hanc technam ideo struxit Censor, vt qui infeliciter hactenus certamine dimicauit, infeliciter quoque dum cessim it, arma vibret.

§. XXVI. Ergo ad nouam quaestionem progreditur in §. XII. & seqq. eam nempe, quae est de legibus diuinis positiuus vniuersalibus. Eas autem, quod bene vertat, ex professo non vult adstruere, sed tantum ostendere, *meq saltim argumenta non cuincere, non dari leges positiuas vniuersales.* Videamus quomodo procedat. Ego in dissertatione mea cap. II. §. 3. ad probandam meam sententiam negatiuam hoc vtor argumento: quod contradictorium sit, vniuersale esse, & tamen positiuum esse; solas igitur illas leges putari esse vniuersales, quarum principium cognoscendi est recta ratio, quippe qua omnes homines fruuntur. Censor vtrumque negat: negat inuicem pugnare, vniuersale esse & positiuum esse: negat solum principium cognoscendi LL. vniuersales esse rectam rationem, & cum omnis lex naturalis vniuersalis sit, tum tamen putat, non omnem legem vniuersalem esse naturalem, has enim positiones non esse conuertibiles. Hoc autem ita probat. *Enim vero, ait, si nulla lex alia dici debeat vniuersalis, praeter eas, quas sana dicitur ratio, qui fieri potuit, vt illa de non comedenda arbore vetita prohibito ad omnes pertineret homines? de ea enim per rationem constare baud potuit.* Ego vero quaererem, quo fundamento Censor quoque hanc *de non comedenda arbore vetita* legem ad vniuersales referre velit, quae sane hominis naturam integram statumque paradisiacum supponit. Fingamus enim, arborem illam etiamnum hodie alicubi terrarum, veluti apud Indos

dos orientales vel occidentales conseruari, nec eius fructus venenatos aut hominis sanitati per se exitiales esse, credisne Cl. Cenfor, illos Indos, sacris mysterii scripturae nullatenus initiatos, hanc arborem pro vetita habituros, aut esu eius fructuum se priuatuos? Non credo. Ergo lex ista non est vniuersalis: nec obstat, quod ais, legem illam ante foedus cum Abrahamo initum, iam ipsi Adamo datam. Quid enim interest, an lex Adae posita sit, an Abrahamo post foedus? Dicis: Adae lex data, tanquam qui vniuersum genus humanum tum referret. Sed quid inde? DEO tamen non placuit, vniuersum orbem speciali suo regimine curare, Israelitas elegerat, quibus legibus suis positiuus prospiceret. Reliqui autem populi vnde istam legem cognoscere poterant? non sane ex ratione; quia lex non est naturalis. Sed nec ex legislatione positiua, haec enim solis Iudaeis data. Ex omnibus populis, vt ait GROTIUS, vnus est, cui peculiariter DEus iura dare dignatus est, populus scilicet hebraeus, quem sic alloquitur Moses *Deut. IV, 7. quae gens tam magna, cui est DEus propinquus ei, sicut Dominus DEus noster ad omnia vota, quae ei facimus? Quae gens tam magna, cui sint constitutiones & iura aequa, qualis est lex haec tota, quam ego hodie coram vobis propono?* Et psalmographus *Pf. CXLVII. Indicat DEus verba sua Iacobo, constitutiones ac iura suo Israeli. Non ita fecit genti vlli, ideo iura ista non nouerunt.* Hinc legum diuinarum positiuarum datur quoque inuincibilis ignorantia apud gentes, quibus DEus peculiariter illas non patefecit. Quare tam sollicito quoque curauit DEus, vt publice proponerentur ac praelegerentur, eoque medio in populi sui notitiam venirent, *vid. Deut. XXXI, u. 12. 13. Quum veniens totus Israel comparebit ante faciem IEHOVAE Dei tui, in loco quem elegerit, LEGITO tu legem hanc coram toto Israele, illis audientibus: Congregando populum, viros foeminas & paruulos, & peregrinum tuum, qui erit in portis tuis, VT AVDIANT, ET VT DISCANT timeantque Iehouam DEum vestrum; & obseruantes, faciant omnia verba legis huius, Filii quoque ipsorum QUI NESCIUNT, AVDIENTES DISCANT hanc legem.* Adeo falsum est, quod in §. XVI. satis audacter Cenfor, sed absque ratione asserit: DEum solam

traditionem pro iufficiente leges fuas transferendi aut promulgandi modo habuiffe. Ex dictis autem & illud fimul patet, quam vere GROTIVS *d. l. n. 7.* afferat, *nulla parte legis Hebraeae, qua lex efl proprie, (forenfis & pofitiua a regulis virtutis & iure naturae diftineta) nos obligari, quia obligatio extra ius naturae venit ex voluntate legem ferentis. Demum autem voluiffe, vt alii, quam Ifraelitae ifta lege tenerentur, nullo indicio poteft deprehendi, vtut Vir magnus communiter a Commentatoribus, fed perperam, hac parte notari folet.*

§. XXVII. Interea pro legibus pofitiuis vniuerfalibus in §. XIV. Cenfor vterius prouocat ad prohibitionem inceftus, *Leu. cap. XVIII.* Iudaeis factam? Hanc autem vniuerfalem effe quomodo probat? 1) quia DEUS poenam incefti concubitus gentibus quoque inflixit, *Leu. XLIX. v. 24. cap. XX. v. 23.* (2) quia, vt ait, cum illis facere fubfiftit, *qui naturalem earum prohibitionum obligationem a posteriori euinci poffe exiftimant*, in quem finem allegat difertationem Stauinskii. Hoccine efl probare, mi Cenfor? Cur non refellis negantium leges pofitiuas vniuerfales, ad haec refponfiones, quae tibi incognitae effe non debuerunt. Quid fi enim dicerem, DEUM O. M. in republica fua Iudaica prudentem legiflatorem egiffe, & proinde, ne crebris illicitisque congressibus anfa daretur, matrimonia inter perfonas eiusdem conuictas eiusdemque familiae vsque ad certum gradum prudenter prohibuiffe: vnde nec ante legem Mofaicam, leges iftas de inceftu inter Iudaeos obtinuiffe, quod vel ex folo Abrahami coniugio cum fofore vterina, & Iacobi polygamia cum duabus fororibus cuique facile conflat: ne quid nunc de eo dicam, quod MAYMONIDES refert, ex peregrinis demum folus profelytas iuftitiae his legibus fubiectos fuiffe, *vid. MAYMONIDES cap. XIV. Ifuri bia.* Iterim hoc ipfum diuinae iurisprudendiae legiflatoariae fpecimen & alios legiflatores obligare debuit, non quidem ex promulgatione feu pofitione vniuerfali, fed ex iure naturali fuadente, cuius quoque fententiae inter Proteftantes Theologos vel folam, ni fallor, habeo confidentem CALIXTVM *tr. de Haerefi Schifmate & c. p. 137. feq.* Sane gentes imperfecto honeftatis iure perfpicere poterant, longe decentius effe, vt, ad euitanda clandestina fupra, matri-

matrimonia inter illas personas prohiberentur, quibus conuictus & familiae necessitudo crebram praebere occasionem, naturam suam ante tempus & ante pubertatem protuocandi. Ad horum gentes nihil fecerant, hinc continua gentium stupra & vagi concubitus, naturali quoque iure prohibiti. Hinc iustum Dei in gentes iudicium: nam & ius naturale quaedam specialiter Imperantibus tam indicat, quam praecipit, in primis vt prudentiam regnatricem addiscant, & secundum illam agant, de quo vide PUFFENDORF. *L. 7. de I. N. & G. c. 9.* & infinitos alios, qui de officio regum scripsere, quorum aliquos consignauit WANDALINVS de *I. regio cap. vlt.* Atque inter ea & illud est praecipuum, vt castitatem & mores ciuitatis statis legibus contineant, nam, vt recte DOMINICVS SCOTVS loquitur, apud IO. LAVNOIVM *p. 27. cum consanguinei in eadem habitant domo, in periculo incestuum versarentur: quos quidem incestus Principi incumbit suae reipublicae cauere: ne proscripita scilicet castitate & familia, promiscua venere velut lue & contagio ipsa quoque respublica labefacteretur: Insignis hanc in rem locus est SOCRATIS de vagis Heliopolitanorum Phoeniciae concubitiuis in *L. 1. c. 14.* quem ex graeco sermone in latinum translatum huc apponere non abs re fuerit: *Heliopolitani, quem olim habuerint legislatorem, non habeo quidem dicere, sed quomodo moratus ille fuerit, ipsi mores ciuitatis aperte declarant. Nam uxores apud illos communes esse lex patria iubet: & propterea de liberis nihil certi posse scire: Etenim parentum & liberorum nulla distinctio est. Virgines etiam peregrinis, qui eo aduenant, constuprandas tradunt: illud institutum iam apud illos inueteratum Imperator Constantinus M. penitus abrogare laborauit &c.* En ideam & exemplum Reipublicae, in qua nullis legibus communalibus castitati familiarum prospectum. Ex quo patet, quam valde ea res ad curam & officium boni principis pertineat. Quid ais Cenfor? Responde & tunc dicam te probasse. Sed in § seq. *XV.* circa poenam homicidii dolosi capitalem eodem modo procedit Disceptor noster. Eam enim cum aliis quoque Doctoribus vult esse vniuersalem, sed loco probationis, iam, ait, cum naturalis non sit, utique oportet esse positiuam. Ratio ratio- nis: *Tametsi vero, pergit, non ignorem, quae pro negante sen-**

tentia a ICcis quibusdam Hallensibus adferuntur, iis tamen iam satisfecit Ill. BERGER add. DN. BODINVS. Iam quis non crederet, poenam homicidii capitalem esse iuris diuini positui vniuersalis? Quis non admiraretur potius lepidam probandi rationem magni in arte demonstrandi artitae? Ego ICcis illis Hallensibus tandiu adstipulor, donec Dominus Censor eorundem rationes solide refutauerit. Interea Censor putat, se hoc modo legum posituarum vniuersalium existentiam in genere probasse.

§. XXVIII. Quo officio egregie scilicet functus, nunc propius ad rem accedit, & in §. XVII. vult *monstrare*, (hoc enim verbo vtitur, quia vera arte demonstrandi se alienissimum esse nouerat,) legem de matrimoniorum indissolubilitate in specie quoque esse vniuersalem. Mireris, quam artificialiter iterum auctor id probet. *Pluribus, ait, iam id euictum dederunt Ill. BERGER. Diss. supra laudata P. 1. §. 17. & Magnif. WERNEDORF in diss. de Polyg. h. IV. §. 12. Ita monstracionem suam, vna cum ipsa parographo quinque tantum lineis incipit, simul atque finit. Euge quam belle, quam compendiose! Dum autem in Dissert. mea cap. 2. §. 4. circ. fin. asserui: 1) In textibus veteris & noui foederis nihil deprehendi, quod legibus posituius vniuersalibus in hac quaestione patrocinetur, aut Principum euangelicorum iuri circa diuortia deroger, tantum enim (2) ibi naturam matrimonii explicari secundum regulas virtutis coniugalis, &c. ad haec regerit Censor: quoad (1) ex hactenus disputatis manifeste apparere, non parum in sacris literis deprehendi, quod LL. PP. vniuersalibus non patrocinetur modo verum etiam easdem vindicet. Dispercam, nisi his lectis, omnino quis, etiam posito pignore, affirmaret, Censorem leges suas posituias vniuersales, in genere & in specie, ad oculum demonstrasse. Et tamen quam negligenter hoc officio functus fuerit, ex parographis proxime praecedentibus liquet: Ad 2) respondet, a me praeter rem urgeri, naturam matrimonii tantum iuxta regulas virtutis explicari. Nam hoc ipsum esse, quod iam supra de prima matrimonii institutione disceptasset, vbi, cum eam legis obtinere locum: iam eum euictum dedisset, frustra me de mente ac sententia Saluatoris in alium sensum detorquenda laborare. Vbi sane profus festius*

flius est Cenfor, qui dum se in tricās iniecit, puluerem faltem
 in hominum oculos fpargere ambabus manibus nititur, quo de-
 inde ambiguo sermone capiat, quos argumentorum vi in suam
 sententiam pertrahere haud potest. Vbinam gentium superiore
 loco hanc meam distinctionem non dicam refutasti, sed vel
 verbo demum tetigisti? Videsne, mi Cenfor! qua techna vsus
 sis; cur supra distinctionem illam, inter regulas virtutis & iu-
 stitiae non impugnaueris, antequam ad primaeuam matrimo-
 nii institutionem prouocares. Quid igitur? num quid tibi ad
 huc dubium haeret, postquam tam clare mentem meam expo-
 sui supra in §. XVI & XXII. Instas: *Seruator de diuortii disse-
 rens, ad hanc primaeuam institutionem, tanquam perpetuam ma-
 trimonii normam, discrete prouocat. Sit, sed non prouocat ad
 eam, tanquam ad legem aliquam forensem. Adeone tibi nulla
 differentia est inter legem, & normam? vide quae dixi §. XXIV.*
 Sed pergis: sane, si Christus diuortia a Mose tantum ob *αυθαγε-
 νας* Iudaeorum concessa olim fuisse eodem loco Matth. XIX, 3.
 contendit, oportet aliquam extitisse legem, quae eam diuertendi
 licentiam penitus reprobarer. Qualis consequentia? Et cur
 non sufficit, aliam extitisse normam actionum moralium, prae-
 ter legem proprie sic dictam, quae diuertendi licentiam peni-
 tus reprobarer, & cum qua legem Moſis contendisset! Chri-
 stus enim leges proprie sic dictas non opposuit legibus propriis,
 nec enim est nouus legislator, nec in hunc mundum venit, vt
 destrueret legem Moſis, surrogatis nouis legibus Matth. V. v.
 17. quem textum perperam in tuam sententiam trahere contem-
 dis. Vide, quae hanc in rem dico §. X. Quid igitur est, quod ais:
*si itaque omnis Christi de matrimonio disputatio legis habet obli-
 gationem, dubio procul & ea de non dimittenda uxore extra ca-
 sum adulterii eandem vim legis obtinebit.* Posito impossibili, se-
 quitur impossibile: posito absurdo, sequitur absurdum. Sed
 tota ista Saluatoris disputatio de matrimonio legis vim non habet,
 quia eius officium non fuit legislatorium. Ergo.

§. XXIX. Maneo igitur in sententia mea in textibus ve-
 teris & noui foederis, quos pro legibus posituis vniuersalibus
 allegat Disceptator, tantum naturam matrimonii explicari se-
 cundum regulas virtutis coningalis, eoque etiam referenda esse
 verba

verba Saluatoris: *Iam non sunt duo, sed vna caro, & quod Deus coniunxit, homo non separet.* His enim indicatur, esse arctissimam coniugii societatem, quam temere dissoluere, neque decorum, neque vtile generi humano fuerit. Inde tamen non sequitur, eam non posse dissolui, secundum regulas iustitiae forensis, ex causis matrimonii finem subuertentibus, *vid. dissert. meae C. I. §. 10. & cap. II. §. 4. Cap. III. §. 9. 10.* quod illustro in *Defens. Germ. D. Langio opposita §. 5. & 12.* Quemadmodum nec sequitur: Deus coniunxit, ergo nec est in arbitrio hominis, cui quis coniungi velit, aut non debet pactum inter coniuges intercedere, quin potius ex hoc ipso firmiter concludit MILTONVS: Deus coniunxit homines, interueniente pacto, igitur ipsos non vult dirimi, nisi pactum illud fuerit violatum. Quae ipsa verba, cum & in *d. §. 4. meae dissert.* habeantur, Censor quoque in *§. XXIII.* sua Dissertationis ea conatur refellere, *non enim, ait, confundenda haec sunt: an, quod Deus coniunxit, homo dissoluere non debeat (dic potius non possit,) salua iustitia forensi, & deinde, an in arbitrio hominum sit, cui quis coniungi velit.* Recte, nec ego quoque has quaestiones confundo; sed ex paritate rationis ad vtramque aequaliter responderi vellem. Pergit Censor: *De hoc in praesenti disputare non vacat.* Sed cur? Debebat vacare. Si enim legis proprie sic dictae vim habet primaeva institutio, non amplius in arbitrio erit hominis, cui coniungi velit; nec debet hodie pactum inter coniuges intercedere. Nam in primaeva creatione citra vllum pactum coniugale protoplasti fuerunt coniuncti, nec Adamo liberum fuit aut Euae cuiquam coniungi voluerit. *Illud vero, continuat, hoc pertinet, atque tum ex ipsa primaeva matrimonii lege, tum etiam ex doctrina Christi Seruatoris recte negatur.* Quae hodie Deus mediante coniugum pacto coniungit matrimonia, ea hominem in statu legali iuste dissoluere non posse, mi cl. Censor, tum ex primaeva matrimonii institutione, tum ex doctrina Christi in cassum probare contendis, illa enim omnia, quod nullibi a te refutatum, primaeva Dei intentionem & regulas virtutis respiciunt. Pergit censor: *Nec vero admitti, nisi cum temperamento, post, quod auctor vrget, ex causis naturam & finem matrimonii subuertentibus solui illud posse, de quo deinceps.* In quonam igitur consistit istud

istud temperamentum, nam statim subiicit: *Deus ipse enim non vetat diuortium fieri ex causis, quibus pactum matrimoniale violatur, quae violatio quomodo fiat, suo loco pluribus exponemus.* Et in sequentibus ait, Saluatorem, excipiendo adulterium, non exclusisse maiores eiusdem & diuersi generis cum adulterio causas, quae tamen eandem cum adulterio rationem, & parem cum ipso disrumpendi vinculum coniugale facultatem habent. Nisi me omnia fallunt, hoc temperamentum aequè late patet cum mea regula *cap. III. Disp. §. XV.* tradita: diuortia esse concedenda *ob iustas & graues causas, h. e. tales, quae fini matrimonii eiusque essentiae contrariae sunt, & pacti coniugalis in his violationem in se continent.* Sed de hoc infra latior dicendi campus erit, vbi ineptiam istius tuae paragraphi sententiam pace tua retundam. Pergit Censor: *Neque etiam, quod mediante pacto ineatur matrimonium, hoc quicquam facit.* Cur non? nam ex concessis & propriis tuis verbis disputo: *Deus ipse non vetat diuortium fieri ex causis, quibus pactum matrimoniale violatur.* Ergo tenor & essentialia pacti matrimonialis sunt inspicienda. Ergo concludit Miltoni & meum argumentum. Deus coniunxit homines, interueniente pacto, igitur ipsos non vult dirimi, nisi pactum illud fuerit violatum. Quid igitur habes, cur assensum tuum cohibeas? Pergis: *Si enim eiusmodi supponimus pactum, quod ex primaeua institutione robur suum habet, (nam hoc sensu vtrique pacto initur matrimonium) tum pariter indissolubile erit matrimonium.* Eia quam belle! supponere pactum, quod ex primaeua institutione robur suum habeat! Et tamen prima matrimonii iustitutio sine pacto matrimoniali fuit facta: & tamen *Deus ipse non vetat diuortium fieri ex causis, quibus pactum matrimoniale violatur;* haec omnia sane sunt contradictoria. Quae tandem ex Soto & Launoio pontificiis scriptoribus profero, ea proprie de matrimonii nullitate agere & ipse innuo, dum in mea *diff.* ad verba PETRI SOTI nullum reddere, addo aut dissoluere. Sed ne vterius dubites, me consulto scripsisse: *mirandum esse, Ictos Protestantés magis coecutire in hac materia, quam ipsos pontificios, age, alium locum tibi profero scriptoris pontificii, nempe THOMAE SANCHEZ L. 7. de Matrim. Disp. 3. n. 2. vbi dicitis verbis ait, non obstante ratione matrimonii sacramentali, id tamen subiacere iustis Principum secularium legibus*

E

nec

*nec sua natura ab iis eximi, cum eius materia sit contractus ciu-
lis, cuius naturam superaddita sacramenti ratione non mutat. Quam
sententiam etiam sequitur LAVNOIS & ab eo allegati plures.*

§. XXX. In §. XIX. contradictiones mihi imputat Cenfor: Prima est: Cum in cap. 3. *Dissert. mae §. II.* statuam, eos, qui ad perfectiorem gradum Christianae virtutis peruenire contendunt, ob summam tolerantiam vitae Christianae, prorsus a diuortii, etiam in causa adulterii debere abstinere, sicut Paulus eodem sensu *1 Cor. VI, 7.* iudiciorum quoque usum increpat. Cenfor putat, me apertam admisisse contradictionem, quoniam ante cap. 2. §. 4. ut ille ait, *adulterium ab hac virtutis regula excipi a Seruatore diserte pronunciaffem.* Sed bona verba precor, mi Cenfor! in dicta quidem §. 4. age de natura matrimonii secundum regulas virtutis considerari, & ita in eo nullum facile diuortii locum concedo: *mox subiicio: vbi post lapsum peccatum introductum est in mundum, manent quidem regulae virtutis & amoris coniugalis, homines autem, qui affectibus indulgent, hodie secundum has regulas in foro externo diiudicari nequeunt.* Et tum immediate sequuntur verba, quae cum cap. III. committit Cenfor: *Vnde quoque Christus diuinae veritatis restitutor, regulae subiungit exceptionem, ei μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, de qua in sequentibus plura dicendi locus erit.* Quis igitur non videt, me ad leges forenses signate Saluatoris exceptionem referre, non ad regulas virtutis. Sed de eo cap. II. ex professo dicendi locus non fuit, hinc malui me referre ad sequentia ad cap. se. III. §. II. in qua ita me circa illam exceptionem vterius & professa opera eo explicui, quod parenthesis illa (*ei μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*) non tam exceptionis locum habeat a regula virtutis, quam subordinationis regularum iustitiae, quae tum demum obtinent, vbi virtus Christiana defecerit; seu ut verba in ipsa mea *Dissert. habent, Christum non tam excepisse πορνείᾳ a regula virtutis a se tradita, quam potius explicare verum sensum legis Mosai-
cae, in foro externo zelotypia dulcis applicandae, & in genere in usum praxinque ducendae, vbi virtus Christiana defecerit.* Vbi nam gentium nunc est illa mihi imputata contradictio? Euanuit, puto, & tenues eussit in auras. Interea Cenfor verba Dissertationis meae modo allegata vterius contendit cum §. XII. d. cap.



d. cap. vbi recte eos sentire assero, qui a saluatore omnem *por-
veia* seu turpitudinem in genere exceptam esse profitentur, ex qua
collatione nunc alteram contradictionem mihi impingit. *Quomo-
do* quaeso, ait, *Seruator* potuit de omni turpitudine in genere *disserere*,
& simul tamen ac praecipue ad legem de zelotis sancitam respicere,
quandocumque haec ipsa lex ad turpitudinem proprie ac strictissime
acceptam pertinuit, quem admodum ex textu Num. V. 12. seque. lu-
culenter patet, & ea quoque lex tanquam mere forensis, aduenien-
te Christo Saluatore, plane cessare debuit? Respondeo: Saluator
de omni turpitudine in genere loquitur Matth. XIX & hoc ideo,
quia ad legem Mosaicam Deut. XXIV. respexit, vt in superiori-
bus §§. X. & XI. docui, & hanc ipsam legem Mosaicam appello
laram in vsum fore externi iudaicis, secundum regulas virtutis
vivere nolentibus, sed *zelotypia ductis* h. est, in statu legali vi-
uentibus: nam nisi me omnia fallunt, zelotypia in statu gratiae lo-
cum non habet. Vides, quam bene haec omnia cohaereant.
Sed quorsum tu diuertis, beneuole Censor? Cur substituis aliam
legem Mosaicam de zelotis sancitam, de qua ne somniando quidem
in materia de diuortii cogitare poteram, quia agit de muliere
adulterii suspecta, deque singulari istam suspensionem purgandi
modo, per aquas scilicet exploratorias.

§. XXXI. Sed quia tam liberalis fuit Disceptator in afflu-
gendis mihi contradictionibus, mihi quoque impostero illici-
tum esse nequit, si ipsum potius contradictionum, & incongruae
in asserendo leuitatis arguero, cuius sane insigne speciem iam
supra ex p. 6. §. V. suae dissert. annotare potueram. Ibi enim pro-
testatur, nolle se descendere in discussionem earum quaestionem,
quae occasione meae dissertationis a Maxime Reu. Theol. D.
LANGIO mihi motae sunt, quoniam, ait, D. LANGII quae Cl. Kay-
sero opposuit argumenta, peruoluere iam nec vacat, nec etiam eo-
rum copia destituta, nunc licet. Nonne his ita serio assertis, te
oportuerat esse memorem, mi Cl. Censor? Sed cur mox p. 21. §.
26. allegas D. LANGIUM in scripto Germ. quod Cl. viro opposui: eius-
que limitationem aduersus me non male adhibitam esse arbitraris?
Et iterum p. 29. cur eundem D. Langium allegas, vbi quidem,
quod bene vertat, meae sententiae maluisti accedere. Equidem
ais, non facimus cum Langio, qui nescio, qua pietate permotus ad-
uersus

uersus Cl. auctorem dissentientem propugnat, diuortia iure naturae esse licita. Sane memoria hominis est labilis, sed vide, an haec tam facile a contradictione & ἀβελγία vindicare possis?

§. XXXII. Vt autem ad distinctionem inter regulas virtutis & iustitiae, a qua tantisper diuerteram, redeam, duo sunt potissimum, propter quae eam in materia de diuortii Censor admittere non potest, PRIMO haud valet concoquere tam austeram virtutem christianam, quae nequidem propter adulterium diuortii locum relinquit, quam in rem in §. XXI. prouocat ad verba Reinbeccii: Es sind bloße chimaeren und nichts anders wann man das Christenthum höher und weiter, als Christus selbst und seine Apostel treiben will; Verum bono esto animo, mi Censor, nam sicut innocens coniux pro ratione circumstantiarum, illaeso statu gratiae, tunc quoque iure suo vti potest, nec vterius ex regulis virtutis christianae ad tolerantiam obligatur, cum conuenientia sua impudicam vxorem deteriore reddi, aut tolerantiam suam in ea morum pertinaciam alere animaduertit, quod iam docui in *defens. Germ. D. Lang. opposita p. 21. §. 15.* ita sane illud quoque oportet, vt mihi concedas, regulas tolerantiae & virtutis christianae id saltim a marito exigere, vt cum vxore lapsu humanitatis etiam adulterio polluta, ceterum facti poenitente & non prorsus moribus obstinata, in gratiam redeat, eamque condonato humanitatis vitio, iterum in thorum recipiat, nec enim zelotypia eos, qui in statu gratiae sunt, vt suspicor, valde angit. In quo nihil me statuere existimo, quod virtutem christianam ultra modum ab ipso Salvatore aut Apostolis intentum protendat. In hunc sane sensum Paulus de vsu iudiciorum in genere scribit 1 Cor. VI, 7. *Iam igitur, ait, omnino defectus in vobis est, quod iudicia habeatis inter vosmet ipsos. Quare non potius iniuriam patimini? cur non potius damnum accipitis?* Impotentiam animi iis tribuit, qui a cupiditatibus se superari fiunt, vitium, a temperantia & moderatione plurimum dissidens: perstringit eos igitur, qui ferendae iniuriae sunt incapaces, vt recte TREMELLIVS & IVNIUS in scholio ad istum locum obseruant. Idem est in nostro casu: Impotentia animi est, non ferre coniugem, humanitatis vitio lapsam, nunc facti poenitentem; zelotypia est, vitium a moderatione christiana plurimum dissidens,

diffidens. SECUNDO LOCO propter non intellectam vocem *σκληροκαρδίας* non potest Censor quoque concipere, Saluatorem illa voce contendere legem Mosaicam forensam cum regulis virtutis, de quibus in verbis antecedentibus dixerat, in qua reerorem quidem committit, ceteris etiam fere omnibus, tam Theologis, quam ICTis communem, non tamen eo magis excusabilem. *Σκληροκαρδία* enim propria sua vi denotat statum legalem eorum, qui secundum regulas virtutis viuere detrectant, quo tantum ad decorem vitae ciuilibus, & ad iustitiam externam eorum mores componi possint, quod nos totus contextus docet; *vide quae docuit §. XVII.* In quem sensum etiam STEPHANVS MORINVS ex tot Theologis fere vnicus, quod sciam, in *dissert. de diuort.* & eorum usu cum aliis iunctim edita p. 224. fin. sequi. *Moses, ait, concessit Israelitis olim diuortia, non illa probans, sed modum contumacibus & violentis eorum passionibus ponens, ne summo strictione iure eos coercendo irritaret, atque in horrenda vitia praecipites agerentur, sic diuortia tolerauit, ut prudens politicae rector ad tempus, non vero, ut constans morum sanctissimorum director, add. quae dissero in def. Germ. §. II.* Quare recte quidem monet Censor in §. XX. non esse, ut quaeramus, an praeter ceteras gentes durae ac praefractae frontis fuerit Mosaica gens? id enim vti verum non est, ita sane hic principaliter in quaestione non versatur, modo illud, quod dixi, aduertat, *σκληροκαρδίαν* denotare statum gentis iudaicae legalem & iustitiae forensis, qui vti ex prima & primaria Dei intentione v. supra §. XVI. XVII. tam ante quam post Christi aduentum cessare debuisset, ita tamen, nec ipso aduentante Christo, nequidem apud Iudaeos, nedum apud alias gentes & nationes integras, ob hominum impotentiam animi & malitiam, actu cessauit; vnde Christus adhuc in nostro textu statum legalem cum statu gratiae contendit, & quod principaliter in quaestione erat legem propriae sic dictam legi opponere haud voluit, ne ipsi Mosi se opposuisse videretur. Christus enim, quod toties monui, nec tu censor hucusque negasti aut negare vnquam poteris, non fuit legislator, sed constans morum sanctissimorum director.

§. XXXIII. In §. XXIV. & seqq. alteram quaestionem praedictam in examen vocat Disceptator, an scilicet *matrimonium sit ciuile negotium, eoque curae & directioni magistratus politici*

subiectum. Quam nos quidem affirmauimus *dissert. cap. III. §. 6. seqq.* Ille autem, dum eam negat, id sane praeter rem aduersus nos vrget, non pertinere ad reliquas sacramenti, quando *nostrates sanctum vocant matrimonium*: nam illud, quod sciam, nullibi a nobis dictum: quin in ea sumus sententia, eam appellationem commode referri posse ad inuiolabilitatem foederis coniugalis, qua intemeratas nuptias seruare decet, quo sensu etiam VALER. MAXIMVS *sacra coniugia dixit, & IMPERATOR CONSTANS in L. 4. C. Tb. Quorum appell. non recipiuntur, adulteros vocat sacrilegos nuptiarum*, quasi sacro sanctissimoque foedere nuptiarum violato. Sed inde nondum sequitur, matrimonium in se non esse negotium ciuile, suaque natura Principis curae subiectum. Imo repeto meum syllogisum: *Quodcunque negotium sit actibus externis, medijs externis, ad finem externum: illud est ciuile, humanum, non diuinum, non spirituale. Atqui. Ergo. Responde Censor. Ais, non male adhibitam a D. LANGIO limitationem: tum demum negotium mere humanum esse matrimonium, si illud fiat actibus mere externis &c.* Ego vero sub illa ipsa limitatione argumentum meum sustinui, negaui autem aduersus D. Langium, actum aliquem *mere eternum* esse desinere, eo, quod a Deo quibusdam legibus adstringitur. Quot enim sunt negotia mere ciuilia, quae non varijs legibus iustitiae & aequitatis a Deo in S. literis faere circumscripta, v. gr. mutua, vsurae, alienationes, dominium hominum in bruta, facultas comedendi carnes, militia, & id genus alia fere infinita, quae tamen propterea qualitatem suam non mutauerunt? Quando enim negotium aliquod ciuile & externum dicitur, propterea haud quaquam eximitur a regulis iustitiae & virtutis, sed tantum subiicitur directioni magistratus ciuilis. Si igitur, quod bene vertat, bene sese habent D. Langii limitatio, cur non respondes ad haec mea argumenta, quae iam habentur *in defens. mea Germ. §. 19. p. m. 32. 33.* Sed non confidis huic limitationi, ergo *in §. XXVII.* ad aliam responsonem confugis: excipis enim, *me in minore mea positione nihil aliud praemisisse, quam modum matrimonii contrahendi externum & finem, adde & media.* Et tu Censor, si alia poteris in medium proferre ad naturam & essentiam matrimonii necessaria, tum sane eris mihi magnus apollo. Non argumentor a solo modo

con-

Contrahendi matrimonium, sed ab omnibus iis, quae naturam matrimonii ingrediuntur. Si enim ea omnia sunt ciuilia & externa, sane & ipsum matrimonium ciuile erit & externum, non spirituale, non diuinum. Ergo nihil superest, quam vt matrimonii sanctitatem in *diuina institutione* quaeras, ad quod tamen argumentum, iam in *ipsa dissert. cap. II. §. 8.* affatim regressimus. Diuina institutio rei naturam non ingreditur, eamque nec mutat, alias infinita fere essent futura diuina & spiritualia negotia. Nec est, quod regeras, *inter res a Deo creatas, & ordines ab eo institutos, nihil non obtinere discriminis.* Quid enim est istud discriminis? cur non profers? Quod denique addis: *aliud esse, rem aliquam ita pro sancta habere, vt cultu propemodum diuino existimemus dignam, aliud vero, vsque eo rei alicuius sanctitatem agnoscere, vt praeter ceteras eam habeamus in pretio: in eo aperte mutas statum controuersiae, tibi que iterum contradicis.* Largior in maximo pretio esse debere bonis omnibus institutum matrimonii, adde & sacrosanctum illud ab inuiolabilitate sua posse vocari, modo maneat curae & directioni reipublicae subiectum: Hoc enim est, de quo disceptatur.

§. XXXIV, Atque ita simul patet, Disceptatorem potuisse sepe sedere taedio simul ac frustraneo negotio, *in sqq. §§.* plura conquirendi argumenta, pro concilianda matrimonii sanctitate, modo, vt ipse *p. 26.* cum B. LVTHERO fatetur, *matrimonium pro ciuili habeat negotio, quoad definiendas ac decidendas causas matrimoniales, & externa, quae ibidem obuenant, negotia.* Tum enim largiris ipse, Cl. Cenfor, quod magno molimine haecenus negaueras. Videnouam tuam oscitantiam & contradictionem. Neque vero ulterius tantopere mirari debuisses, qui in iure Doctor es, aut saltem pro consequentis honoribus disputas, *qui factum sit, dum pro mere ciuili negotio matrimonium multi habent, quod haecenus nondum expeditum reddiderint, ad quod contractuum genus referendum, verum bonae fidei, an stricti iuris, item, quod nondum tradiderint, quibus cautelis quisque matrimonium initurus, sibi prospicere, praeter vulgatas pactorum dotalium formulas, debeat, & annon legem quandoque commissoriam adiecisse consultum fuerit, numne curatore non adhibito nullum sit matrimonium, & quae eiusmodi sunt farinae.* Caue, mi Cenfor, ne tibi
heic

heic accidat, quod Cicero: *dum alios irrideo*, ait, *pene factus sum ridiculus*. Enim vero istud non mirantur illi, qui inter pacta seu negotia ciuilia in genere, & contractus in specie dictos distinguere norunt; sic foedus, quo hostilitas tollitur, sic conuentio, qua ciuitas constituitur, sic & matrimonium est pactum seu negotium ciuile, non vero contractus in specie ita dictus. Iam vide, quam inepte quaestio formetur: an matrimonium sit contractus bonae fidei? an stricti iuris? nam neque contractus est in specie ita dictus. Illa vero, quae ulterius te suspensa tenent, dudum a Doctoribus sunt expedita & decisa. De cautelis matrimonialibus tradunt, qui de iure dotium & de pactis dotalibus ex professo scripserunt, quorsum in specie spectant G. D. T. *Tractatus de contractibus matrimonialibus, continens epitomen regularum & clausularum iuris caute adhibendarum, secundum disciplinam prouinciarum Gallicarum, Parisiis 1708. in 12.* & IO. PETRI FONTANELLE *Tr. de pactis nuptialibus*. Legem commissoriam matrimoniis adici, constitutiones ecclesiasticae & decor christianae disciplinae prohibent, quae matrimonia non permittunt esse temporaria. Mulierem sine consensu curatoris matrimonium contrahere posse, post alios multos tradit BERLICH. *P. II. Concl. 17. n. 81.*

§. XXXV. Vt morosae disputationi finem imponamus, reliquas Censoris *Theses II. & III.* breuiter examinandas suscipimus. Illae vero egregiis istis principiis, de quibus haecenus, oppido dignae sunt. Vna est. *Nullas alias admitti diuortii causas par est, quam quas iure diuini pariter comprobatas esse expeditum est.* ALTERA est: *Non posse aliam a principe admitti diuortii causam, quam quae vel ad adulterium, vel ad malitiosam desertionem referri iure potest.* Sed in iis probandis ita sane versatur Censor, ut haereas, an oscitantiam eius admireris potius, an in tam paucis lineis tam infinitas hominis Christiani contradictiones, ex lege caritatis lugeas doleas. Enim vero in §. 3. *Th. II. ideo a Saluatore adulterium pro legitima diuortii causa admissum esse*, ait, *quod illud sua natura ita comparatum sit, ut vinculum a Deo colligatum dissoluere possit.* Quae ratio, quamuis in effectu adulterio prae reliquis grauibus & iustis causis in materia de diuortio nihil quicquam praecipuum tribuit, ut in *Dissert. nostra Cap. III. §. 14.* demonstrauimus, tamen his ita lectis iurares, Censorem in eorum descen-

descendere sententiam, qui solum adulterium pro legitima diuortii causa agnoscunt. Refert enim se ad *B. Gerbardum*, a nobis quoque in *Dissert. nostra* allegatum, qui hanc ipsam sententiam fouet: quin, ubi in §. IV. ita colligit censor: *explorata igitur causa adulterii, haud difficile erit de reliquis diuortii causis sententiam ferre, putares, censorem cum GERHARDO ita prone velle concludere: Ergo hanc unicam exceptionem in natura ipsius coniugii esse funditam, eamque proinde nec ad alias posse extendi causas, inprimis, cum postea p. 33. nullum aliud delictum ad diuortium sufficere, pronunciat, quam quod sua natura vinculum coniugale laedit ac dirimit.* Sed mauult paraogysmum committere, & qui nullibi sibi constat, ex his praemissis, inuitam quamuis syllogistica, ita concludit: *alias quoque causas, quae eandem cum adulterio rationem habent, seu grauiores seu aequae tantum graues fuerint, omnes ad diuortium esse idoneas.* Imo, ne nunc videatur *B. GERHARDI* sententiam approbare, quam, praeter *Strykium* allegatum alii quoque *ICti* sequuntur, alia scilicet esse crimina adulterio grauiora vel saltem aequalia respectu legis diuinae, cum cuius norma & regula pugnant; alia respectu matrimonii, cuius vinculum dirimere debent: haec salua lege diuina a faciendo diuortium admitti, non illa. Censor admodum liberalis est, nobisque in §. IV. illud concedit, quod & in ipsa *Dissertatione* aduersus *B. GERHARDVM* statuimus, delictum contra vinculum coniugale non vnice per illicitum concubitum committi, adeoque vltimius concludit, fere quasi eadem nobiscum principia sustineret: *Saluatorem, excipiendo adulterium, non exclusisse maiores eiusdem & diuersi generis cum adulterio causas quae tamen eandem cum adulterio rationem & parem cum ipso dirumpendi vinculum coniugale facultatem haberent.* Addit: alias enim non excusandus esset *apostolus*, qui *malitiosam* quoque *desertionem* sufficientem ad diuortium pronunciat *1 Cor. VII. 15.* & *perperam* agerent *nostrates & Theologi & ICti*, qui plures alias, praeter adulterium, diuortii admittunt causas, quas ex instituto recenset *Dn. Nicolai &c.* Pulchre haec omnia. Sed vide, an bene cohaereant. PRIMO enim *adulterium* hinc *Salvatore* excipi diserte asseris, quod propter ea, quae inferius sunt dicenda, velim vt obserues. DEINDE quaeso, quomodo hae conclusiones conueniant cum *thesi tua III.* non posse aliam a principe admitti causam, quam quae ad adulterium vel *malitiosam* desertionem referri possit. Nam & ipsa *malitiosa* desertio, quam admisit *S. Paulus*, vt postea probabimus, nequidem potest referri ad adulterium: ergo & nostri *Principes* aut *Consistoriales* exemplo *S. Pauli*, eodem iure alias admittunt causas, quae nec

ad adulterium nec ad malitiosam desertionem referri possunt. 2) Et tu quoque alias & diuersi generis causas praeter adulterium admittis. Ergo non opus est, vt causa aliqua ad adulterium presse & sollicitereferatur, modo, quod concedis, *parem cum adulterio dirumpendi vinculum coniugale, facultatem habeat.* Denique quomodo hae conclusiones conueniunt cum tuis principiis modo recensitis, cum tua peculiari adulterii ratione? Nonne potius, quod iam monui, & his praemissis cum Gerhardo concluderem: quia adulterium peculiarem habet rationem & peculiarem ad diuortium habitum & *ἕξω*: ideo nec ad alias posse extendi causas, maxime si sint diuersi generis, aut alia extra illicitum concubitum admissa flagitia? Nonne igitur est, quod certam, te ista principia ex B. Gerharo vel Strykio, bono quidem fide, sed cum exiguo iudicio exscripsisse, ac peregrinis postmodum conclusionibus obtorto collo praefixisse & incongrue adaptasse?

§. XXXVI. Sed in illa ipsa §. Censoris VI. latent adhuc alia ineptientis fere animi documenta. Nam post verba, modo a nobis allegata, ita mox pergit: *Sane malitiosa desertio ad turpitudinem proprie acceptam referri nullo modo potest, potest autem referri ad adulterium, quatenus scilicet non minus quam illud fidem laedit coniugalem, adeo pari cum turpitudine nititur ratione, etiamsi diuersi generis esse respectu turpitudinis videatur.* Age, quid hoc est? Videor mihi audire verba sacro furore abrepti vatis, qui incondita & hiulca oratione homines in admirationem rapit. Vbi autem incipiam, vt tam paucis lineis infinitas tuas contradictiones ostendam. Ais, *MALITIOSA DESERTIO AD TURPITVDINEM PROPRIE ACCEPTAM REFERRI NVLLO MODO POTEST.* Sane si haec confero cum verbis praecedentibus a nobis quoque §. 35. relatis, prima statim se prodit contradictio eaque insignis; nam secundum illa, vt ibi monui, nequidem opus est, vt malitiosa desertio ad turpitudinem, proprie sic dictam, vilo modo referatur, quia ex paritate rationis licet argumentari ad alias causas, quae ad turpitudinem proprie non possunt referri. Saluator enim, vt dicis, exceptione sua non exclusit alias, aut maiores eiusdem vel diuersi generis causas, modo eandem cum adulterio rationem & parem cum ipso dirumpendi vinculum coniugale, habeant facultatem. 3) Quod si vero cum verbis subsequenter conferantur, ibi: *Tamet si vero ab eorum sententia, qui turpitudinem proprie sic dictam excipi a Salvatore contendunt, baudquaquam sumus alieni,* tum sane iterum manifesta se prodit contradictio. Nam supposito, turpitudinem proprie acceptam ab adulterio esse diuer-

diversam, eandemque a Salvatore tantum esse exceptam, tum sane Paulus excusari nulla ratione poterit, quod admiserit malitiosam desertionem, quae ad causam a Salvatore exceptam reduci nequit. Quae igitur ratione antea excusare voluisti S. Paulum? vide, quid dicas. 3) Et tamen ex rationibus nunc demum a te proferendis, malitiosa desertio non minus ad turpitudinem quam ad adulterium referri potest. Aduerte istas contradictiones. *POTEST AVTEM*, ais, *REFERRI AD ADULTERIVM*. Sed 1) falsum est, malitiosam desertionem semper posse referri ad adulterium, quia non semper fit ex libidine, sed ex aliis quoque causis, velut obstinatione & morum peruersitate, *vid. STRYCK. in usu moderno ff. L. 24. tit. 2. §. 30.* 2) Ergo iterum non excusandus Paulus, quod ad turpitudinem referri nequit, quam tamen exceptam voluit Saluator, ut in sequentibus putas. 3) Nec hac iterum reductione opus erit, ex eadem tua propria, & iam concessa mihi interpretatione extensua doctrinali, ex paritate rationis, de qua paulo ante; & quia alias, ut ipse concedis, non esset excusandus Paulus, qui malitiosam desertionem sufficientem ad divortium pronunciat, quae tamen nec ad adulterium ex probatis, nec ad turpitudinem proprie acceptam, ex tuis concessis referri potest. Sed cur quae so magis ad adulterium quam ad turpitudinem referre malitiosam desertionem? dicationem. Ais: *QVATENVS SCILICET NON MINVS QVAM ILLVD (adulterium) FIDEM LAEDIT CONIUGALEM*. Pulchra scilicet ratio, sed propter quam non minus ad turpitudinem proprie sic dictam quam ad adulterium referri posse videtur, nam & illa, credo, fidem conjugalem laedit. Pergis: *ADEO QVE PARICVMTVR PITVDINE NITITVR RATIONE*. Recte, adeoque propter eandem etiam paritatem rationis non minus, ut dixi, ad illam, quam ad hoc referri debuisset, addis: *ETIAMSI DIVERSI GENERIS ESSE RESPECTV PITVDINIS VIDEATVR*. Non debuisses dubitative loqui, nam ab initio huius commatis dixeras, *malitiosam desertionem ad turpitudinem referri nullo modo posse*. Et tamen hoc non probauerant ipsi filiae hae tuae rationes, Aduerte perpetuas contradictiones. Nunc inuertam tuum argumentum, ut videas, non magis prone te pro turpitudine quam pro adulterio conclusisse; *Sane malitiosa desertio ad adulterium proprie sic dictum referri nullo modo potest, potest autem referri ad turpitudinem, quatenus scilicet non minus quam haec fides laedit conjugalem, adeoque pari cum adulterio nititur ratione; etiamsi diversi generis esse respectu adulterii videatur*. Nonne eandem habet vim istud tuum argumen-

tum pro turpitudine, quam antea habebat pro adulterio. O mihi magne iuris perite Apollo, cuius tam deuia sunt & dubia, quam ipsius Apollinis responsa. O insanam tuam de diuortii doctrinam.

§. XXXVII. Ne autem diutius his naeniis insistam, explicanda est fabula: dicam, quod mireris maxime: Censor distinguit inter *turpitudinem proprie acceptam* & *illicitum concubitum seu adulterium*. Rifum teneatis amici. Haec duo enim omnium confessione coincidunt. Et modo huic suae hypothese, tametsi omnium absurdissimae, insisteret Censor. Sed quidni insisteret? In verbis statim subsequentiis d. §. VI. vocem *πορνεϊας*, non de adulterio, sed de turpitudine proprie sic dicta, signate explicat, adeoque denuo allatam distinctionem probat. Ast quid probaret? Eo ipso eam destruit, sibi que denuo contradicit. *πορνεϊα* enim propria vi vocis adulterium significat. Quid igitur? Ergo *πορνεϊα* aut adulterio, idem est, quod turpitudine proprie sic dicta. Tametsi, ait, *ab eorum sententia, qui turpitudinem proprie sic dictam excipia Salvatore contendunt, haud quamquam simus alieni, cum in omni scriptura S. non alio sensu usitata vox πορνεϊα deprehendatur, praeterquam quod de idololatria in sensu metaphorico non raro usurpatur, quod sensu malitiosam desertionem πορνεϊαν dici posse non dubitamus*. Dicam paucis & magnum nodum dissoluam; his verbis bonus Censor se voluit opponere iis, quae *Cap. III. dissert. nostrae §. XII.* a nobis dicta sunt, vocem *πορνεϊας* in sacris passim literis cuiuscunque generis delicta seu quaecunque turpitudinem in genere denotare: quae quamvis sint verissima, vt supra §. XVIII. latius probauimus, tamen Censor, vt vides, haec refutare illis verbis voluit, quo pruritu intempestiuo abreptus, non vidit (1) se modo a turpitudine proprie sic dicta adulterium sedulo distinxisse, (2) non aduertit se paulo ante asseruisse, *adulterium* a Salvatore exceptum, non turpitudinem in verbis: *Saluatorem excipiendo adulterium*. O bonam virum, cuius labilis fuit memoria! O potius infelicem disputatorem.

§. XXXIX. Et tamen, his ita magisterialiter a se disputatis, putat Censor, se hactenus mecum conuenire §. VII. pr. *Et hactenus, ait, vt puto, conuenimus cum Viro Cl. Tu mecum conuenires, qui a Teipso dissides?* Absit. Tantum a nostris distat, quantum *Hispanis Veneto dissidet Eridano vitiligator noster*. Ceterum, quando in *C. III. Dissert. XV.* ita concludimus: *ne indeterminatam in his potestatem Principi adscribere videamur, cum ob iustas & graues tantum causas diuortia permittere posse asserimus, h. e. tales, quae fini matrimonii eiusdemque essentiae contrariae sint, & pacti*
coniu-

coniugalis in his violationem contineant, idque vel directo vel per consequens
 &c. Censor nobis obiicit I) hanc conclusionem pugnare cum nostris prin-
 cipiis, cum enim antea pro libertate diuortiorum tantopere pugnaſſemus,
 non apparere cauſam, cur nunc demum indeterminatam Principibus cir-
 ca diuortia poteſtatem adſcribere dubitemus. Verum eſt, mi Censor, ſi
 nullae aliae adeſſent rationes, pro conſtringendis libidinofis diuortiiſ,
 quam quae ex lege primaeuae inſtitutionis, vel ex lege poſitiua vniuerſali,
 vel ex male intellecta indiſſolubilitate matrimonii deſumuntur, tunc ſane
 illicitatum foret Principum in his arbitrium; ſed aliae ſuppentur cauſae,
 eaque in ipſa noſtra Diſſertatione non vno loco indicatae: natura ſcilicet
 tam arſtae ſocietatis, & ciuiliſ vitae decor impedit, quominus ob quam-
 cunque leuem cauſam Princeps diuortia permittere poſſit, quia nulla alia
 re facilius reſpbl. turbari, & in caſum dari poteſt, quam arbitraria iſta di-
 uertendi licentia. Ergo vbinam in Diſſert. noſtra pro libidinoſa & omni-
 moda diuertendi licentia tantopere pugnauiſus? II) Alterum, quod no-
 bis obiicit, illud eſt: *quamuis eas cauſas, quae ſini matrimonii aduerſantur,*
certo quodam modo admittat, tunc ſcilicet, ſi paſſi coniugaliſ violationem ſi-
mul contineant, ita vt adulterii aut malitioſae deſertionis habere rationem vi-
deantur, ſe tamen non poſſe idem largiri tunc, ſi non directo, ſed per indire-
ctum tantum modo id fiat. Sed cur? Id enim non admittit, quam ſupra tra-
 didimus. matrimonii a Deo inſtituti natura, quae omnem coniugii reſpuit ſo-
 lutionem. Diſpercam, niſi ludit Censor, & perpetuos committit circulos,
 ſi enim, quod concedis, propter adulterium, quo *directo* vinculum coniu-
 gale laeditur, ſalua matrimonii a Deo inſtituti natura diuortium licitum
 eſt; ſi vltcrius; *ſalua Seruatoris reſtrictione*, haec ſunt tua verba, alia quo-
 que admittis delicta, quae pari cum adulterio ratione nituntur, oportet ſane,
 vt illum ſimul largiaris, ex eadem rationis paritate, illa quoque delicta ad-
 mittenda eſſe, quae paſſi coniugaliſ violationem, quamuis *per indirectum*,
 ſaltim inducunt, ſufficit enim vinculum coniugale violatum. Licuit ſan-
 cto Paulo ex paritate rationis argumentari ad malitioſam deſertionem, li-
 cet illa ad adulterium proprie referri nequeat: eaque auctoritate, nobis
 quoque & ex eadem paritate rationis, licebit argumentari ad alias cauſas,
 quae quamuis *per indirectum*, vinculum tamen coniugale laedunt. Et
 cur modo ab inito § VI. admidiſti alias eiudem & diuerſi generis cum
 adulterio cauſas? Non poſſunt eſſe *diuerſi generis*, niſi per *indirectum* de-
 mum foedus coniugale violent, nam adulterium *directo* id vinculum ab-
 rumpit,

§. XXXIX. Ex supposita hac doctrina Censoris generali, hiulca, vt vides, squalida, male cohaerente, & vel centies sibi contradicente, Censor quoque ad vterio rem discussionem specialium causarum, quas ad diuortium sufficiens esse, in dissertatione nostra asseruimus, progreditur. Inter eas ex numero legitimarum causarum saltim speciminis loco duas expungit, nempe exilium & relegationem perpetuam ob factum infamans; & demum morbum fonticum. De illa enim in §. VIII. quamuis ait, *relegata vxor suo id efficiat delicto, vt alter coniugum ipsius sui consortio amplius vix possit, ac adeo vinculum coniugale laedi hoc modo saltim per indirectum videatur, reuera tamen hic nulla foederis coniugalis subest violatio, non enim eo alter coniugum deliquit animo, vt vinculum istud dirimeret, sed potest forte non minus ad mare infontem coniugem. Nec etiam sui matrimonii impetrando hic quicquam decedit, cum insons nocentem comitari, & hoc modo impetrare matrimonii finem possit.* O vero monstruosam Censoris sententiam! O incongruam de diuortii doctrinam! Hoc sane colore, nec impietas mariti, haereticis, idololatria, quin nec ipsum adulterium ad diuortium sufficit, neque enim & his casibus alter coniugum deliquit eo animo, vt vinculum istud dirimeret, sed potest forte non minus ad amare infontem coniugem impius, idololatra, adulter. Nec etiam matrimonii fini impetrando hic quicquam decedit, cum innocens nocentem comitari, & non obstante eius impietate, idololatria, adulterio per vterio rem cohabitatio nem impetrare matrimonii finem possit. Et tamen his casibus diuortium admittunt doctores, nec tu quoque, rigide censor, infonti coniugi diuertendi licentiam denegabis. Ineptiusne aliquid aut insulsius dici excogitariue potest, quam quod subicis: *si propter delictum locus esse debeat diuortio, ita illud comparatum esse debere, vt NATVRA SVA vinculum coniugale laedat ac dirimat. Infamiam autem, quae ex iure ciuili est, vinculum illud dirimere non posse.* Ergo solum adulterium ad diuortium sufficit, nam hoc in §. III. ita comparatum esse dixeras, vt *sua natura vinculum a Deo colligatum dissoluere possit.* Cur ergo tu plures causas, grauiores, vel aequae graues eiusdem vel diuersi generis admittis? Sed istam tuam oscitantiam iam supra vellicauimus, vbi simul innuimus, reuera adulterium prae aliis delictis & grauibus causis, peculiarem aliquem habitum & *genium* ad diuortium vix inuoluere. Hinc & omnia crimina, aut omnia delicta publica ita comparata sunt, vt sua natura tam arctam societatem dirimant, ob perpetuam animorum renitentiam, quae a parte innocentis perpetuo est mansura. Qua ratione melioribus auspiciis edoctus CONSTANTINVS in l. i. C.

Th

Th. de repud. vxori a marito diuertere permittit, si sepulcrorum violator esset, & HONORIUS IMP. in l. 2. C. Th. d. t. graue crimen, inuolutam magnis criminibus conscientiam, iustam repudii speciem esse iubet: non expressis quidem his criminibus, vnde omnia crimina publica, seu quae publicis legibus vindicabantur, his verbis contineri viri docti existimant; quo sane fundamento multi quoque ad iustas diuortii causas referunt, si vir post contractum matrimonium vitae genus honestum mutauerit, & ioculator, histrio vel ardelio factus fuerit. KITZELL Synops. matrim. c. 6. theor. 3. lit. m. p. 195 MELCHIOR KLING. de caus. matrim. c. 16. n. 41. seq. p. 328. His adde Hemmingium in lib. de coniugio, quem frustra refutat HAVEMANN. Gamolog. l. 3. t. 9. n. 9 p. 453. BASILIVM MONNERVM de matrim. p. 5. c. 13. p. 134 seq. Aut num quid tibi fama adeo in nullo pretio est posita, vt existimes, honestum virum cohabitare posse cum vxore criminibus inuoluta? Non credo hercle. Cur ergo culpam in infontem refers his verbis. Quod vero si facere aut cohabitare nolit, (neque enim facile quisquam id fecerit) de se quaerat, habebit. Quid peccauit insons, ferat nocens nequitiae sua poenas? Et cur quaeso id nemo facile fecerit? Cur, inquam facile nemo cum eiusmodi coniuge, cohabitauerit? Impossibile est, si cui honestior vitae ratio famam in pretio posuit.

§. XL. Eodem modo procedit Censor circa morbum contagiosum & incurabilem. Videamus, cur eum e numero legitimarum diuortii causarum expungat. *Enim vero inquit in §. IX. si citra culpam suam in morbum eiusmodi incidat coniugum alter, dici non potest, violasse matrimonii foedus, qualem violationem tamen Vir Cl. d. l. p. 52. supponebat, nec quicquam admisit hic alter coniux, quod matrimonii finem subuertat, tamen si per indirectum finis hic impediatur. Imo & eo in casu, quo culpa sibi sua morbum talem quis contraxit, diuortio locum esse negamus &c. Doleo manifestum tuam & pertinacem oscitantiam, me Censor, a qua, vt suspicor, non alio modo liberari poteris, quam si tibi tali lunone frui datum fuerit. Vah! Nonne tali casu, licet fortuito, manifeste dirimitur coniugale vinculum? Et quid interest, casu an data opera coniugi is morbus aduenerit? Sane enim coniux bene valens nullaratione tenetur, cum propriae sanitatis detrimento, aut periculo propriae infectionis debitum coniugale reddere leproso, aliove morbo contagioso laboranti coniugi, quod, vt Doctores alios omittam, late probat & ipse Doctor Catholicus THOMAS SANCHEZ de matrimonii Sacramento Lib. IX. disp. 24. n. 2. & 17. 18. De alio quodam morbo incurabili & cohabitationem impediante v. Sarcereus & Melanchthon*

OK TH 4353

X 2346630

thon. ap. DEDEKENN. Vol. III. Lib. 4. sect. 10. n. 1. p. 364. DANAEVS & ARETIVS Theologi reformati apud HAVEMANN. in Gamol. Lib. 3. tit. 9. §. 6. p. 451. TITIVS in der Probe des geistlichen Rechts L. 4. C. 4. §. 9. C. 21.

CONCLUSIO.


EA quae pro vindicanda mea Dissertatione Inaugurali hucusque adversus te, Cl. Censor, dicta sunt, numero sunt exigua & pauca, longe maior copia restat dicendorum. Ea autem omnia hac vice in medium proferre erubui, veritus, ne irrideant me viri docti & cordati, in re tam clara tamque perspicua, pluribus verbis aduersus te disputantem. Ceterum illud etiam atque etiam interrogatum volo, scilicet duriuscule in hac mea defensione te exceptum deprehenderis, id aequi bonique consulas, nec aegre feras, qui iure defensionis fruor, si in moderamine inculpatae tutelae vel tantillum, & praeter voluntatem excessero; non enim mihi animus fuit tuam infestandi famam, sed theses meas vindico, nunc lenius, nunc durius, pro rationum, quibus adversus me dimicas, pondere. Qua quaeso auctoritate id tibi negotium datum fuisse putasti, ut professa opera & publice meam vellicares diuortii doctrinam? Ego alios suo abundare sensu facile patior, sed ab aliis quoque postulo, ut me pari secum iure frui patiantur. Ab aliis melicet longe doctoribus viis, saepe modeste dissentio, sed nunquam sine grati aliqua ratione. Eadem libertate tibi quoque, me non inuito, aduersus me ipsum frui licuisset, modo dissensus tui causas, easque graues dare potuisses, quibus profecto cedere tibi que palmam relinquere maluisses, quam malam causam defendere. Nunc ubi vel absque ratione me refellere satagis, vel mentem meam nequidem perspectam habes, vel perpetuas committis contradictiones & paralogismos & ubique obscuras, quod illustre est, obruis, quod eminens, quod sincerum & limpidum est, maculas & labefactas, professo aduersus me studio, hanc tuam temeritatem impune ferre non debuisti. Desine imposterum me lacescere, ego libenter controuersiae finem impono, meisque studiis vaco. Quod si denuo me prouocare contendas, ego iterum eodem iure defensionis utar. Nam est mihi adhuc ortium aliquod Academicum, non prorsus grauioribus negotiis distincto: est & supellex libraria. Nec facile, ut aduersatoris, qualiscunque fuerit, famam vel de se conceptam opinionem reformidem, genii mei in dolens permittit. Vale & imposterum.

rem tuam cura.

F I N I S.

Handwritten initials or mark.





N. M. II, 109.
h. 22, 24.

PK
4383

IO. FRID. KAYSERI
I. V. D. ET IN ILLVSTRI LVDOVICIANA
P. P. EXTR.

FVNDAMENTA
DOCTRINAE
DE
DIVORTIIS

OPPOSITA
DISSERTATIONI WITTENBERGENSI
SVB TITVLO
SANA
DE
IVRE PRINCIPIS EVANGELICI
CIRCA
DIVORTIA DOCTRINA
SVPERIORE ANNO VVLGATAE,

EDITIO TERTIA.

HALAE MAGDEBVRGICAE
Sumtibus IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI, Academ. & Senat. Typogr.
MDCCLXXXVII.

